DE MVTATIONE NOMINIS.

M. ANTONII MAIORAGII

Oratio Iudicialis, qua variis rationibus probatur vnicuique licere sibi nomen immutare.

ORATIONIS

ARGVMENTVM.

M. ANTONIVS *Maioragius accusatus a Fabio Lupo, & a Macrino Nigro, in Senatu Mediolanensi, de nominis mutatione, quoniam prius Antonius Maria Comes dicebatur, expositis primo vitæ suæ rationibus, probat, & à legibus tam diuinis quàm humanis, & a communi consuetudine, & ab ipsa honestate concedi, vt sibi quicunq; voluerit, modo ne fraudis alicuius gratia faciat, nomen immutare poßit.*

Illustrissimo atq; Maximo Cæsaris Consiliario, Subscriptoriq; dignissimo, Francisco Tabernæ, M. Antonius Maioragius. S. P. D.



QVOD *hactenus in tuam familiaritatem, quam optimus quisq; vehementer expetit, vir ornatissime, celeberrimeq; Francisce, non diligentius insinuare studuerim, vt tua nunc demũ mihi cognita & perspecta summa benignitas in me postulabat, non sanè mea me voluntas, sed istius tantæ dignitatis tuæ splendor, atq; magnitudo prohibuit. Cum. n. tibi principes huius ciuitatis, tibi auctores publici consilii, tibi omnes quicunq; dignitatibus excellunt, ob incredibilem virtutem, atq; sapientiam tuam cedere libentissime viderem, non arbitrabar mihi infimo quidem homini, sed tamen tui nominis amantissimo studiosissimoq;, locum vllum apud te fore. Sed posteaq; & ab illustrissimo, maximeq; Reuerendo Antistite Angelo Arcimboldo Nouariæ Episcopo, patrono meo, & a nõnullis aliis fide dignissimis hominibus intellexi, quam bene de me, meisq; studiis & hoc tempore sentias, & semper antea senseris, quamq; liberaliter honori meo, gloriæq; faueas, statui aliquod in te grati animi mei, summæq; obseruantiæ signum extare oportere, quo paulatim si quo modo fieri potest, gratiæ tuæ adhæsescam. donec tandem cum idoneam nactus occasionem fuero, singulares atq; eximias virtutes tuas, inauditas antehac ingenii suauitates, admirabilia rerum agendarum consilia, summam in administranda Rep: iusticiam & æquitatem, cæterasq; præstantissimas animi tui dotes, quibus te iure optimo cuncti admirantur, suspiciunt, diuinis propè laudibus in cœlum ferunt, grauiore atq; ornatiore*

A ii

ſtylo deſcribam. Hanc igitur iudicialem orationem de nominis mutatione, quam à detractoribus quibuſdam meis ſtimulatus, Saturnalibus proximis elucubratus ſum, duplici potiſſimum de cauſa ſub tuo nomine apparere volui. primum vt inclinatam iampridem, atq; propenſam in te voluntatem meam, maximamq; obſeruantiam aliquando tandem agnoſcas. deinde vt nouum hoc orationis argumentum, nunquam antea quod ſciam ab aliquo tractatum, nõnullam ex clariſsimo nomine tuo gratiam, atq; venuſtatem accipiat. De ipſa autem oratione tantum tibi polliceri poſſum, me ita in ea laboraſſe, cum admodum ſterilis eſſe materia videretur, vt non recuſare audeam, quo minus tantum de ingenio meo detrahatur, quantum de eius arte facultateq; detractum fuerit. quod enim meditatione, quod induſtria, quod labore conſequi potui, totum id omni cum diligentia præſtiti. totis deniq; neruis viribuſq; contendi, vt ſi nõ prorſus, at aliqua ex parte ſaltem te dignum hoc munuſculum meum eſſe videretur. quod ſi tuo iudicio, tuaq; approbatione, quod vehementiſsime cupio, nõnullam ingenii laudem conſecutus fuero, nihil penitus aliorum iudicia curo. tu enim mihi certe vnus inſtar eris omnium. ſin autem (quod nolim) res ipſa meis optatis tuæq; expectationi nõ reſponderit, erit tamen humanitatis atq; prudentiæ tuæ, animum hunc tibi deditiſsimum, ſtudiumq; in te meum non aſpernari. cum præſertim à ſapientiſsimis atq; eruditiſsimis hominibus iam olim pronunciatũ ſit, in arduis atq; difficilibus rebus etiã voluntatẽ ſolã ſufficere. Vale, patriæ noſtræ lumen & ornamentũ. Mediolani, Idibus Ianuarii. M. D. XLVII.

DE MVTATIONE NOMINIS.

M. Antonii Maioragii Oratio Iudicialis, qua variis rationibus probatur vnicuique licere sibi nomen immutare.



VM ita vitæ meæ rationes ab ineunte ætate suscepissem, Patres Conscripti, vt & parentum meorum optimorum hominum consiliis, & præceptorum, quos mihi plures, & eruditos habere contigit, institutionibus, & naturæ etiam ipsius instinctu, quam semper tanquam optimam ducem mihi sequendam esse statui, omnia fugiendæ turpitudinis, & honestatis adipiscendæ causa, mihi facienda esse statuerem, vt non ocio, sed labori, non libidini, sed industriæ, non inertiæ, sed ingenuis artibus me natum existimarem, sperabam fore, vt non solum ab aduersariorum meorum accusationibus, quos mihi semper, propter eam, quæ cum eis mihi est, collegii societatem, & colendos, & obseruandos esse censui, sed etiam à maleuolorum hominum voculis, & ab omni deniq; repræhensione, totius vitæ meæ cursus tutus esset perpetuo futurus. Quid enim aut accusatorum calliditatem, aut obtrectatorum calumnias ille pertimescat, qui rectæ voluntatis conscientia munitus, primo neminem vnquam sponte læserit, deinde pro virili parte semper quamplurimis prodesse studuerit? Sed profectò nihil est tam integrum, quod non arguere, nihil tam sanctum, quod non violare,

nihil deniq; tam munitum, quod non expugnare, vel nocendi cupiditas, vel inuidia conetur. neq; enim si quis diligentissime quærat P. C. quicquam aliud in causa fuisse reperiet, cur aduersarii mei tam in me acriter exarserint, tam infensi, infestiq; sint, vt omni ratione, quo iure, quaq; iniuria me inuadant, de me, famaq; mea detrahant, me accusandum in iudicio coram vobis esse censeant, nisi quia tam breui tempore, tam repente, preter spem atq; expectationem suam, hac in literarum professione, qua sibi maxime placebant, in qua primas obtinebant, & se perpetuo regnaturos opinabantur, se dignitate vident à me superatos, hoc est, quod eos assidue torquet, quo continue disrumpuntur, quo dies noctesq; cruciantur. Nam vsq; eo cæci lædendi cupiditate feruntur, vt dum me nimis cupide insectantur, etiam vobis P. C. petulanter, & improbe maledicant. neq; satis aduertant aut cogitent, me sine ope vestra, sine auxilio, sine potestate, nequaquã ad hunc dignitatis gradum ascendere potuisse. quo fit, vt dum mihi procacitate linguæ nocere student, dum in me virus acerbitatis suæ vomunt, eodem tempore vestrum etiam de me iudicium condemnent. quicquid enim est in me dignitatis, si modo quid est, quicquid gloriæ, quicquid honoris, id vobis P. C. totum acceptum penitus fero. vos enim primo me nouum hominem ex vmbra, quod aiunt, in solem eduxistis. vos hanc amplissimam atq; honestissimã vtriusq; linguæ profitendæ prouinciam, mihi vestra sponte libentissime demandastis. vos mihi filios vestros, atq; vniuersam Mediolanensiũ iuuentutem erudiendã cõmisistis. vos iidem postea, cum propter bellorum tumultus, intermissis literarũ studiis, ab hac vrbe discessissem, amplificato stipendio me reuocandum anno superiore cen-

fuistis. neq; hoc imperiti homines aduersarii mei consyderant, vos prudentissimos, & Reipublicæ amantißimos viros, nequaquam ad hoc munus me reuocaturos fuiße, nisi probum virum, & tali officio dignum iudicauissetis. sed cum nullum in me scelus, nullum flagitium, nullam petulantiam, nullum eiusmodi crimen, quo meũ nomen probabili de causa deferrent, ne fingendo quidem excogitare potuissent, propterea quod ego semper, quo ad facultas mea tulit, innocentiam, atq; vitæ integritatem amplexus sum, videte quo detrahendi studio progressi fuerint. hanc vnã leuem, atq; inanem prorsus accusationẽ (quemadmodũ vos eam pro summa vestra sapientia atq; prudentia iudicaturos spero) quod ipse mihi nomen immutarim, susceperunt. vt si quo modo fieri posset vestrã à me beneuolentiã, quam in me singularem semper ostendistis, vestrosq; animos à dignitate mea, cui semper hactenus magnopere fauistis, abalienarẽt. in eam enim spem atq; opinionẽ venerant, fore, vt ista sua tam populari actione statim opprimerer, & penè prius à vobis condẽnarer, quã ab eis reus fierẽ. nam me propter eorum hostilem impetũ, adeo timore perterritũ existimabant, vt apud vos, quorũ animos assiduis criminationibus accendere in me, atq; inflãmare conati fuerant, pro me ipso dicere, nihil prorsus auderẽ. Sed hoc eos omnino fugit, P. C. magnã vim esse cõscientiæ in vtrãq; partem, vt neq; timeant qui nihil cõmiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. hæc igitur vna res innocentiæ meæ fidem cuicunq; vestrum facere debet, quod nulla sceleris conscientia territus, simul atq; mihi dies dicta est, nihil recusaui, quo minus confestim vadimonium obirem, & vestro me iudicio nulla interposita mora cõmitterem. Atq; etiam eo magis quoniam multa

esse quæ contra me facerent hoc tempore non ignorabam. primum aduersariorũ summa gratia, qua plurimum eos in hac ciuitate posse non mirum est, cum multos nobiles ciues adulationibus suis, & scurrili dicacitate deuinctos consuetudine teneant, apud quos se Deos in docendo faciant, & eruditionem, atq; scientiam suam extollant, cæteros omnes professores præ se ne pili quidem æstiment. qua certe scientiæ opinione multorum gratiam aucupantur. deinde summa etiam eorundem audacia, temeritasq; dicendi, qua mortales omnes antecellunt, vt nihil tam incredibile esse videatur, quod in quemuis impudenter fingendo dicere non audeant. mihi autem (vt quod res est dicam) mirificus quidam à natura pudor insitus est, vt cum in alienis etiam causis initio dicendi commoueri soleam, tum hoc tempore, quo mihi pro me dicendum est, facere non possim, quin, & si recta conscientia fretus, audenti animo in hunc locum ascenderim, tamen aliquo timore concutiar. sæpe enim mihi venit in mentem subuereri, ne si forte de me, meæq; vitæ rationibus aliqua dicere conatus fuero, in arrogantiæ suspicionẽ incidam, quam in hoc orationis meæ principio P. C. maxime velim a vobis deprecari. vt quæ mihi de me necessario dicenda sunt in hac causa, non ea me mea sponte, qui ab omni penitus ostentatione semper alienus fui, sed ab aduersariis coactum, ne turpi iudicio victus abeam, commemorare existimetis. nam si pudoris atq; naturæ meæ rationem habere voluero, nihil vt de me libere, nihil magnifice dicere audeam, nullam afferre causam potero, cur me vos dignum existimaueritis, quem ad hoc tam amplum, tamq; honestum publice docendi munus eligeretis. huc accedit opinio quædam, quæ iam penitus insedit, atq; inueterauit, in omnium ferè mentibus, non nisi alicuius fraudis

atq; maliciæ causa solere nomen immutari. qua in re maxime sese extulit, atq; exultauit aduersariorum oratio. vsq; adeo, vt hoc vno nomine se putent effecisse, vt me quam cupidissime vos P. C. dãnaturi sitis. Sed (vt spero) nunquã improbitate sua, nunquã conuiciis, & calumniis efficient, vt vos ista prudentia atq; sapientia, tam leui criminatione ducti, eum, in quem tanta iampridem beneficia contulistis, quẽ vestra sponte tantis honoribus cõdecorastis, innocentem aduersariorũ crudelitati iugulandum tradatis. quæ est enim ista accusatio, qua se sperant apud vos non omni modo me dignitate spoliare, sed etiã si fieri potest, infra mortuos amandare? quam leuis? quam nugatoria? quã indigna vestris auribus, vestroq; conspectu? Quid est quod in me repræhendatis boni accusatores? an me fortasse nefarium aliquod, aut scelestum, aut impiũ facinus perpetrasse coarguitis? nihil minus. quid ergo? tibi, aiunt, nomẽ immutasti. cum enim prius ab omnibus Antonius Maria dicereris, nunc te Marcum Antoniũ vocari iubes. en crimen, en accusatio. digna vero causa, propter quam tantas isti tragœdias excitent, me insectentur, exagitent, ex hominũ numero eiiciendum atq; exterminandum esse clamitent. nihil enim aliud in me tam longo sermone suo, tot nugis aduersarii repræhenderunt, nisi quòd vnam in nomine meo syllabam immutarim, & ex Maria, Marcum fecerim. Equidem eum esse me gaudeo P. C. in quem cum maxime cuperent aduersarii, ne verisimilem quidem vllam criminationẽ fingere potuerunt. tota enim eorum accusatio (vt audiuistis) in nominis repræhensione versata est. nihil de vita, nihil de moribus, nihil de honestatis fama detraxit. quod ab eis nõ ideo factũ est, quia deesset illis maledicendi cupiditas (semper enim mordaces, & maledici

conuiciatores habiti sunt) sed quia impudenter & aperte mentiri veriti sunt, cũ nihil quod probabiliter accusare possent, inuenirent. Bene habet, iacta sunt optima defensionis meæ fundamẽta. neq; enim vereor, ne fraudis alicuius aut maliciæ gratia nomen à me quisquã immutatũ existimet, cum prope aduersariorũ confessione vir bonus atq; integer iudicatus esse videar. Nam qui accusator, nihil in eius vitam dicit, quem accusat, is plane virum probum atq; honestum se accusare confitetur. Itaq; mihi facilis ab aduersariis, & expedita ratio defensionis proposita est, quoniã (vt ipsi tacendo fatentur) omnis abest a me, meisq; moribus, fraudis atq; maliciæ suspicio. Sed vt facilius intelligere possitis P. C. quod iam vobis penè persuasum esse certum habeo, nihil in hac re maliciose, nihil improbe gestum a me fuisse, date mihi hanc veniã accõmodatam huic causæ, mihi ad vincendũ necessariam, vobis (quẽadmodũ spero) non molestam, vt apud vos de me ipso, & de superiore vita mea paulo liberius aliqua dicam. sic enim & verũ ex me audietis, & mores meos purgatos, probatosq; esse intelligetis, & de tota huius causæ ratione liquidius, & apertius iudicare poteritis. Iulianus Comes, homo cum innocentia, atq; integritate vitæ, tum officio, fide, pietate, sui municipii facile princeps, mihi pater fuit P. C. qui cum Maioragiũ vicum habitaret, atq; ita se comiter liberaliterq; gereret, vt vicinis omnibus gratus, & charus haberetur, cognomen à loco sortitus est, & Maioragius appellatus. is cum adhuc esset adolescens, vxorem duxit è comitũ nobili familia Magdalenã nomine, lectissimam & honestissimã fœminam. ex qua cum primo tres filias suscepisset, tandem etiam me quarto loco suscepit, quem ex patris sui nomine, qui mortem iamprideẽ obierat (quemadmodũ à

plerisq; fieri solet) Antonium appellauit, vt in filio patrem à mortuis quodãmodo reuocare videretur. hoc enim præcipue nomine semper delectata fuiße familia nostra videtur. nam & apud Maiores nostros, Comites clarißimos, permulti fuerunt, & hoc etiam tempore plures in ea sunt Antonii. cum igitur magna quadam cũ solicitudine atq; cura, quippe quæ vnicũ haberet masculũ, me mater educaret; & vt superstes essem quotidie vota faceret, boni ominis gratia, quẽadmodum ipsa mihi sæpe narrauit, nomini meo Mariam addidit, vt sanctißimũ illud diuinæ matris nomen, materna quadã pietate, muliebriq; religione mihi additũ, gratiorem ex nomine meo sonum, atq; amabiliorem ad aures ipsius matris apportaret. eam enim sæpißime cõmemini dicere, se Mariæ nomine mirandum in modum solitã esse recreari. Hinc igitur accidit, vt vsq; ab incunabulis, non à matre solum, quæ mihi nomen illud addiderat, sed etiã a patre, atq; ab omnibus vicinis Antonius Maria semper vocatus sim. neq; enim vnquã alio nomine me paßa est mater, quo ad vixit appellari. neq; pater, cum hoc parui esse momenti iudicaret, in ea re matris voluntati refragari voluit. Ab his initiis profectus, vt primum per ætatem mihi licuit, græcis atq; latinis literis, ad humanitatem informari, statim à parente, qui me quã doctißimũ fieri vehementißime cupiebat, quamuis ei non admodum ampla rei familiaris copia suppeteret, erudiendus doctißimo præceptori traditus sum. sed cum aliquos iam in literis progressus facere cœpißem, iniuria temporum quæ diu maxime perturbata, atq; tumultuosa fuerunt, effectum est, vt per annos amplius octo, quamuis literarum essem amantissimus, nihil tamen in eis operæ, nihil studii potuerim impendere. donec tandem,

cum ab armis discessum esset, & quietiora tempora successissent, à Primo Comite consobrino meo, doctissimo, atq; religiosissimo viro Nouocomum, quæ quondam Romanorũ colonia fuit, vbi tunc ipse publice docebat, cum annũ iam decimũ octauũ agerem, magna sane cũ humanitate atq; beneuolentia perductus sum. ibi cum aliquod tempus operam Primo dedissem, qui me studiose, & peramanter erudire contendebat, & ipsius præceptoris iudicio tantum in literis profecissem, vt non solum Græcos & Latinos auctores per me ipsum intelligere, sed aliis etiã interpretari facile possem, Mediolanum in antiquã maiorum meorum patriam veni, viuente adhuc Francisco Sforzia Mediolanensium duce ac principe. Statim Fanniani cum adhuc ignotus in hac vrbe penitus essem, me domum suam receperunt, eaq; comitate, atq; liberalitate erga me semper vsi sunt, vt Lancilloto Fanniano viro summa virtute, fide, religione prædito non minus quam parenti me debere sentiã, & libentissime prædicem. fui apud hunc annos circiter quinq;. quo quidem tempore literarum studiis adeo vehementem operam dedi, vt totum illud quinquẽnium in labore, atq; animi contentione confecerim, vt me non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectarent. Testis est iste vir grauissimus atq; ornatissimus patronus meus, qui mihi adest, de me solicitus est, meum honorem atq; existimationem tuetur, Lancillotus Fannianus. qui cum in studiis literarum me continenter versari videret, sæpissime reprehendere solebat, quòd acquirendæ scientiæ desyderio, propriæ salutis obliuiscerer. Testes sunt omnes qui me norant eo tempore, vt non semel, propter nimis assiduum studium, cum in grauissimos morbos incidissem, de vitæ periculo dimicarim.

Erat autem studiis meis ille finis propositus, vt si quo modo fieri posset, amissa iampridem in hac ciuitate dicendi ratio, & declamandi consuetudo, per me restitueretur. Itaq; non tantum ipse frequenter in oratoriis declamationibus exercebar, sed nobilissimos etiam ex Mediolanensibus nostris adolescentes incredibili quadã cum oblectatione, atq; voluptate, propter eorum excellens ingeniũ, more veterum aßidue declamantes audiebam, & eorum dictionem, quantũ per me fieri poterat, ad illius diuinæ Ciceronis eloquentiæ modulum, & exemplar informabam. Neq; tamen interea cæterarum artiũ ingenuarum studia prætermittebam. nam eodẽ tempore studiosissimè ab Arunte Bataleo ingeniosissimo & acutissimo viro in Dialectica exercebar, quæ, quod ait Cicero, quasi contracta, & astricta eloquentia putanda est. & in Mathematicis disciplinis Hieronymo Cardano Philosopho, atq; medico peritißimo, & Mathematicorum nostræ tempestatis facile primo, dabam operam. Sed cum propter nouam docendi rationẽ meam maximus quotidie nobilißimorum adolescentium concursus ad me fieret (nam & vos P. C. & cæteri ciues nostri iam eam de me opinionem conceperatis, vt mihi rectißime cõmitti filios vestros existimaretis) cogitare cæpi longe mihi, & ad famam clarius, & ad erudiendã iuuentutem cõmodius fore, si publice docendi prouinciã a Gymnasii nostri præfectis mihi demandari procurassem. quam in spem & cogitationem adductus sum, postquã vir integerrimus & sapientissimus Philippus Saccus, huius publici consilii auctor, & vestri ordinis princeps, pro incredibili eius erga me humanitate atq; liberalitate, me ad eam prouinciam petendam inuitauit, suamq; suffragationem omniũ potentißimã, & probatißimam, quia primus

Gymnasii præfectus erat, vt est etiam hoc tempore, mihi vltro perquã amanter obtulit. huius igitur præcipue opera, tum etiam studio atq; fauore sapientissimi & ornatissimi viri Francisci Sfrondati *Cardinalis, qui eo tempore* Mediolani*, cum inter primos Senatores haberetur, &* Caroli Cæsaris *consiliarius esset, amplissimum dignitatis gradum obtinebat, magno consensu totius ordinis vestri, cum sextum ac vigesimum annum vix dum attigissem, ad oratoriam artem publice profitendã electus sum, cum ad Senatum de me retulisset vir sanctissimus & spectatissimus* Angelus Arcimboldus Nouariæ Episcopus*, &* Præsidis *in Senatu vicarius, quẽ ego iampridem mihi patronũ adoptaram. quo quidẽ munere duos annos ita perfunctus sum, vt (nequid arroganter de me dicam) nemo diligentiam aut industriam meam desyderarit. quin potius ita noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione versabar, vt nõ tantum propinqui atq; necessarii mei, sed etiã multi ex vobis* P.C. *me sæpissime repræhenderent, quod nimiũ magnos labores, & viribus meis impares assumere non dubitarẽ. ardebam enim (vt ingenue fatear) incredibili gloriæ cupiditate, quam in adolescente nequaquã esse vituperatione dignam sapientes omnes existimant. nullũ igitur omnino diem esse patiebar, quin aut publice docerem, aut priuate mecum ipse meditarer, sæpissime autem eodem die vtrunq; faciebam.* Interim *cum apud nos magna esset belli suspicio, quoniã ingentes* Gallorum *copiæ iam* Alpes *transcenderant, atq; in* Taurinis *consederant, omnes publici professores (vt fit in eiusmodi temporibus) dimissi sunt, & studia literarum intermissa.* Quare*, cum iam bienniũ in publico versatus fuissem, & meum in hac vrbe nomen celebrari cæpisset,* Mediolano *sum profectus, ea tamen*

cogitatione atq; mente, vt quoniam non semper bellum fore sperabam, ad eandem publice docendi prouinciam instructior atq; eruditior aliquando reuerterer. Itaq; cum Ferrariam *venissem, & praeclare intelligerem quantam huic meae professioni vtilitatem, vel mediocris iuris ciuilis cognitio posset afferre, propter multos, & in* Ciceronis *orationibus, & aliis in operibus locos, ex intima iuris prudentia decerptos atq; delibatos, oblatam mihi occasionem repudiare nolui, sed eodem ardore animi, quo reliqua studia cõplecti solitus fueram, etiam ius ciuile sum amplexus. &* Alciato *nostro, iurisconsultorũ omnium, non tantum nostri temporis, sed etiam veterũ facile principi, qui quatuor annis superioribus* Ferrariae *professus est, multum operae dedi. Sed quia memineram non idcirco me iuris ciuilis studium amplexum fuisse, vt aliquando de iure consulentibus respondere possem, sed tantum vt facilius latinos auctores intelligerem, ideo summum etiam* Philosophum Vincentium Magium *eodem tempore audiebam. semper. n. admirabili quodã ad* Philosophiam *studio concitatus fui, neq; id vnquam studium, cũ ab ineunte aetate complexus fuissem, mihi dimittendũ esse censui.* Erant *in manibus eo tempore mihi lucubrationes quaedam, quas, vt amicis id à me flagitantibus obsequerer, in lucem emittere cogitabam. sed incertus animo ferebar, quo modo meum in eis nomen inscriberem. nam in verborũ delectu (quod* C. Caesar *eloquentiae principiũ esse dictitabat) adeo diligens, & penè dixerim superstitiosus eram, vt nullum omnino verbum admittendũ mihi esse censerem, quod non apud veteres latinos, atq; probatos auctores inuenißem. id igitur in nomine meo praecipue seruandum eße statuebã, ne cum latinae linguae castitatem & elegantiam profiterer,*

aliquis mihi barbarum nomen, & apud veteres inauditum, aliquando posset obiicere. atq; eo magis, quod mihi nullo modo conuenire videbatur, vt muliebre nomen cũ virili coniungeretur. Quis enim apud antiquos vnquam talem nominis coniunctionẽ vel legit, vel audiuit? legimus quidem à belluis quosdam aliquo euentu cognomina tulisse, vt Asinæ, Scrofæ, Merulæ, dicerentur, sed qui à mulieribus cognomen duxerit neminem omnino legimus. Itaq; cum de hac re diu deliberassem, tandẽ nomen illud Maria, quod (vt supra dixi) fuerat aduenticium & à matre additum, mihi reiiciendum esse statui. neq; id tamẽ sine doctissimorũ hominũ consilio, qui (sicut infra perspicue demonstrabimus) omnino mihi licere confirmabant, non tantum quòd mihi displicuisset nomen repudiare, sed etiam quòd placuisset vel prænomen, vel cognomen assumere. quæ res effecit (dicã enim nõ deriuandi criminis gratia, P. C. sed vt factũ est) vt me Marcum Antonium inscribere non dubitarem, assumpto etiam à patre Maioragii cognomine, quod ille (quemadmodum antea docui) sortitus a vico Maioragio fuerat. Primum igitur Ferrariæ, cum oratio quædã mea, decisionesq; cõtra Cælium Calcagninum viginti quinq; typis excussæ in lucem venissent, ex earum inscriptione Marcus Antonius Maioragius ab omnibus, qui me norant vocari cæptus sum. deinde cum quantũ mihi satis esse videretur Alciatum audiuissem, & hac in ciuitate restincto iam bellico tumultu, studia literarũ instaurari intellexissem, mihi statim reuertendum esse Mediolanũ censui, vt intermissum publice docendi munus iterum aggredi tentarem. quod haud ita multo post longe maiori, quã antea stipendio, atq; laude vestro sum beneficio consecutus. Hoc aduersariis meis adeo molestũ atq; graue visum est, vt omni

vt omni primo ratione, conati sint efficere, ne pristinam dignitatē meam recuperarem. deinde cum præter spem illis euenisset, vt vos P. C. *me tam liberaliter, tamq; benigne reciperetis, nunquam apud ciues* Mediolanenses *de fama, atq; doctrina mea detrahere cessarunt, donec tandem cum aliud nihil in me criminis quod aut verum esse, aut verisimile videretur, excogitare potuissent, hanc immutati nominis actionem suscitarunt.* Hic *est exactæ vitæ meæ cursus,* P. C. *hæc studiorum meorum ratio, hoc duorum & triginta annorum, quibus hactenus vixi, spaciū. in quo nulla fraus, nullum notabile vitium, nulla insignis malicia reperitur. illud vnū ab aduersariis, in omnem vitam meam studiose cupideq; perquirentibus, grauius est, repræhensum, quod in nomine meo* Mariam *in* Marcum *permutarim. quod quidē per se, nullo adiuncto scelere, nullo dolo, nulla fraude, quam leue sit, atq; ridiculū, puto vestrū penitus ignorare neminem.* Intelligo P. C. *totam aduersariorū accusationē tres in partes distributam fuisse, & in huius facti mei repræhensione, vnā earum quod contra leges, atq; instituta maiorū, alterā quod contra omniū consuetudinē, tertiā quod contra decus atq; honestatem sit, esse versatam. quibus singulis ordine mihi respondendum esse arbitror. vt si forte aliquid oratione sua se perfecisse existimant, hæc illis opinio detrahatur. & iam tandem intelligant, aliud esse vere, atq; iuste accusare, quod in hominem innocentem minime facere potuerunt, aliud improbe atq; maledice conuiciari, quod vnum in tota sua accusatione consecuti sunt.* Ac *mihi quidē, in hac prima parte non admodū laborandū esse video, quoniam & si contra leges hoc à me factum aduersarii dixerint, nullam tamen penitus neq; diuinā, neq; humanā legem proferre potuerunt, qua*

cautum sit ne nomen immutare liceat. sed tantum a quibusdam iurisconsultis, se audiuisse dixerunt, a legibus nequis sibi nomen mutet, prohiberi. qua in re cum summam atq; (vt iurisprudentes appellant) crassam ignorantiā, tum etiam maximā leuitatem ostenderunt. qui, cum apud tales viros iudicium exerceatur, sperent ex eo quod ipsi aliquando vel audierunt, vel (quod verisimilius est) audiuisse finxerunt, nō autē ex eo quod re vera lege sanctū inuenitur, vos P. C. religiosissimos legū obseruatores iudicaturos. Quamobrem ita cū eis agā, siquo modo conuenire possum, vt hac de causa statim decidatur. si lex vna vel ciuilis, vel diuina reperitur, quæ sine fraude mutare nomē prohibeat, nihil mihi prosint exempla doctorū hominū, quæ plurima sunt, nihil antiqua consuetudo quæ vim legis obtinet, nihil deniq; vita ad hanc vsq; diem honeste acta. me confestim damnate. me quouis supplicio dignū existimate. sed si verba tantū inania fundūt accusatores, si tantū ea dicunt, quæ nō modo nō cōfirmant, sed ne cōfirmare quidē laborāt, poteritis ne vos ista virtute, ista religione, ista sapientia P. C. animum inducere vt ea credatis, quæ hostili animo, sine vllis testibus, sine legum citatione, sine vlla firma probatione, quasi tela venenata contra me iaciunt? noui vestram intelligentiā, vestram fidem, nullo modo feretis, vt is vestro iudicio damnatus abeat, quem non certo aliquo crimine, sed tantum calumnia quadam, & falsa iuris interpretatione circūuenire aduersarii cupiunt. nam quæ tandem sunt istæ leges, contra quas à me factum fuisse dicitis accusatores? vbi scriptæ sunt? vbi reperiuntur? ciuiles ne sunt, an Canonicæ? generales, an municipales? equidē cū & ipse diu multumq; totū iuris ciuilis corpus percurrissem, & vtriusq; iuris peritos consuluissem, nullam vnquam legem, aut

reperi, aut esse audiui, qua speciatim cautum sit, nequis sibi nomē immutet. quod si vos esse dicitis, cur eam non profertis? cur non in medium adducitis? legimus quidem Athenis lege cautum fuisse, nequis sibi maternū nomen imponeret, ne ve fœminæ familiarū cognomina, vel celebritatum susciperent, sed quid hoc ad causam nostram? nam etiam si nominatim apud alias nationes lege prohibitū hoc esset, non tamen apud nos ideo damnari deberet, nisi nostræ etiā vel ciuiles, vel Pontificiæ leges probiberent. nunc cum nullam, neq; nostram, neq; externam legem inuenire possitis, qua mutatio nominis impediatur, quid est quod hoc nomine me tam impudenter vrgeatis, vt contra leges à me factū fuisse clamitetis? Sed quid si leges hanc nominis mutationem non modo non prohibent, verum etiā aperte concedunt? quid si, quod vos contra leges esse dicitis, ego luce clarius à legibus ipsis permitti docuero? quid erit causæ quo minus improbi calumniatores esse videamini? Quid ergo? vos nullā legē quæ prohibeat afferre potuistis, ego vero contra, quæ permittat, & concedat, & licere palā testetur, afferre possum. negatis? at iam efficiā, vt etiā inuiti fateamini. Recita Diocletiani atq; Maximiani legē, quā Iustinianus in suo Codice cōprobauit, & perpetuo deinceps ratā esse voluit. Recita. Lex Diocl. & Max.

SICVT INITIO nominis, prænominis, cognominis, recognoscendi singulos, impositio libera est priuatis, ita eorum immutatio innocentibus periculosa non est. MVTARE itaq; nomen, vel prænomen, vel cognomē, sine aliqua fraude, licito iure, si liber es, secundū ea quæ sæpe statuta sunt, minime prohiberis, nulli ex hoc præiudicio futuro. Auditis ne, P.C. quā clare, quā aperte, nomen vel prænomen, vel cognomē mutare lex cōcedat?

modo liber sit is qui nomen mutat, & id sine aliqua fraude faciat. Quin hoc ostendit nō semel esse tractatū, sed sæpe statutū fuisse, cum ait, SECVNDVM ea quæ sæpe statuta sunt. quā autem apposita, quam venusta, quā pulchra similitudine legislator vtitur? ne fortasse aliquis de hac re dubitare posset, & leuitatis aut inconstantiæ famam timeret, si nomen sibi mutare voluißet. hoc (inquit) est in arbitrio, atq; in potestate nostra, vt quandocunq; nobis placuerit, nomen immutemus. quēadmodum enim initio nominis impositio, cuilibet libera est, & quodcunq; voluerit, siue pater, siue alius quiuis puero nomen imponere potest, ita quilibet cū adoleuerit, si forte sibi nomen vel à parentibus, vel ab aliis impositum, minime placuerit, sine vllo periculo, modo sit innocens, potest illud immutare. Quid hac sententia clarius? quid manifestius? quis huius legis verba potest aliter interpretari? quis in aliū sensum detorquere? quis exceptione aliqua contrahere? cum ipsi legislatores vnam tantū eam exceptionē addant, extra quam si quis fraudis gratia faciat. quo in loco Doctores, hoc fraudandi gratia fieri sentiunt, cùm sigillatim, & in vna tantum, aut altera re, nomen mutatur, non autem cum generatim, atq; in rebus omnibus. cum igitur hanc vnam fraudis causam legislatores excipiant, nemini dubiū eße potest, quin alias omnes admittant. vnde Baldus legum interpres acutißimus, totius legis huius summā ita paucis explicat: MVTATIO NOMINIS non fraudulosa libero homini est permissa. quod etiam Alciatus noster quarto Dispunctionum suarum libro comprobat. quæ cum in memoriam reuoco, nullum causæ meæ patronū desydero. nam etiam si nihil de hac re lege cautum fuisset, tamen id mihi licere contenderem. quæ enim

legibus minime prohibentur, omnibus ea concedi videntur. nunc cum lex ipsa palam testetur & aperte clamet, licere cuilibet homini libero mutare nomen; quid est cur ego dubitare debeam; quin omniũ sententiis victor in hoc iudicio discessurus sim? nam quod quidam huius legis interpretes ita sentiunt, viri boni esse officium, ad effugiendam fraudis suspicionẽ, vniuersæ multitudini nunciare se pristinum nomen immutare velle, vel edicto proposito se in futurum alio nomine vsurum patefacere, id tametsi non legis præceptum sit, sed tantum ipsorum interpretum consilium, tamen a me diligenter obseruatum est, qui non prius me Marcum Antonium Maioragiũ appellaui, quam essent scripta mea typis excussa, & passim peruulgata. quibus intelligere poterant omnes, eo me postea nomine semper vti velle. quamobrẽ aut lex damnanda est, quæ nomen mutare permittit, aut ego lege sum absoluendus. Sed quis tam audax, tam temerarius, tam furiosus esse potest, qui legem eam improbandam esse censeat, quæ iam annis mille atq; amplius, ex quo fuit a Iustiniano cõprobata semper valuit? quam nemo vnquam reprahendere ausus est? cuius auctoritate freti, multi doctissimi homines nomina cõmutarunt? cui nihil vnquam, ex quo fuit edita, neq; abrogatum, neq; derogatum fuit? quæ tam clara, tam aperta, tam perspicua est, vt cum aliæ pleræq; leges, varios sensus admittere posse videantur, hæc nullum alium sensum, nullam interpretationẽ prorsus admittat? quod si lex valet, si firma est, si rata, quis non intelligit à me legitime nomen immutari potuisse? quod enim ex lege fit, id etiam iuste fieri existimant, alioquin a iustitia leges discreparent. quod ne dictu quidem fas est. ergo sequitur vt hoc à me iuste factum sit. ridet accusator meus Fabius Lupus, maximus

(vt ipse sibi videtur) veterator, orationē se sperat inuenisse, quæ me differat. nam reliqui minus aliquanto mihi sunt infensi. hic vnus viget, instat, quiescere non patitur, sanguinem meū sitit, me viuū exorbere concupiscit, immiti quodā atq; efferato animo tanquā ictus aper in me ruit. audiuit (vt opinor) nominis mutationē, iure ciuili cuiuis homini libero permissam esse. quare multis exemplis & argumentis conatus est ostendere, nō omnia quæ iure ciuili permittuntur, homini Christiano esse concessa, quoniam multis in rebus Pontificię leges a ciuilibus multū discrepent. qua in parte plurimum eius exultauit oratio, atq; ita sese iactauit & extulit, vt vocem illam suam effœminatā atq; lugubrem ea ratione se vendibiliorem posse facere speraret. perinde quasi noua quædam atq; ante hunc diem inaudita diceret, quæ neq; vos P. C. neq; quisquā alius literarum studiosus potuerit vnquam aduertere. Quid ais bone accusator? qua in re legem a me citatam damnas? quid habes contra illam dicere? quid est, quod eam improbandam censeas? multa sunt (inquit) iure ciuili permissa, quæ tamen à diuinis legibus penitus abhorrent. audio. Sed quæ tandem ista sunt? potes ne inter ea nominis mutationem connumerare? nihil minus. quid ergo? permittunt (inquit) leges esse in ciuitatibus Lupanaria. permittunt fœnora centesimarū, trientum, bessium, & semissium. permittunt adulterum cum filia nupta depræhensum interfici. nemo tamē vir bonus, scortari, fœnerari, occidere, iustum esse dicet. quid præterea? permittunt leges oppressos ære alieno pauperes in carcere emori. permittunt vt qui vxorem nō habet, ei concubinā habere liceat. & alia nonnulla quæ nemo vir probus laudare possit. sunt ista vera, quis negat? sed quid ad quæstioné nostram? habet ne similitudinē aliquā mutatiō nominis

cum meretricia consuetudine, cum fœnore, cum cæde, cũ pellicatu? quis tam rerum ignarus, tam amens, tam stupidus est, quin intelligat hæc, tota (quod aiunt) diametro discrepare? iam videlicet, te au- ctore & iudice, si puella sibi nomen immutarit, in tam graue crimẽ incidet, quam si concubina alicuius, aut meretrix facta fuerit. si quis religionis gratia nouũ sibi nomen assumpserit, æque peccabit ac si fœ- nerator, aut homicida factus fuerit. quis hæc tam absurda, tam à cõmuni sensu aliena, tam à ratione abhorrentia sine stomacho potest audire? quis non videt argumentorum inopia, te illa conquirere, quæ non modo tuam accusationem nõ adiuuent, sed etiam plurimũ infirment? quæ nihil aliud quam hostilem atq; iniquũ animum tuum ostendant? speras ne talibus viris iudicantibus istam similitudinem tuam te probaturum? poterunt ne isti iudicare, tam grauiter ab eo peccari, qui sibi nomen mutet, quam ab eo, qui scortetur? fœ- neretur? occidat? concubinam habeat? vide ne sint ista tua de- creta Stoicorum, qui non minus eum peccare censebant, qui gallũ gallinaceum, quàm qui hominem occidisset, qui caulem alterius horti fregisset, quã qui Deorum immortaliũ fana spoliasset. Salue noue stoice, Zenone temperantior, Catone seuerior. Sed tamen quæso te nisi molestum est, priusquã ista tua tam forti ratione con- demnor, vt mihi pauca quædã respondeas. cupio enim ex te intelli- gere, vtrum diuinis atq; Pontificiis legibus, scortationes, fœnora, cædes, crudelitas, pellicatus, prohibeantur, nec ne? quid hoc (inquis) ad rem? nihil sed tamen scio te responsurũ id quod nullo modo negare potes, talia omnia nominatim esse prohibita. Sed quid de mutatione nominis eodẽ ne modo cautũ est? Prò summe Deus, quantã hominibus cæcitatem improbitas atq; nocendi studiũ inducit.

nescit omnino quid respondeat. quid fingat extemplo non habet. videt enim apertissime, quæ modo cõmemorata fuerunt, a diuinis legibus esse reprobata, nominatimq; de singulis cautum esse, ne cuiquã scortari liceat, ne liceat fænerari, atq; ita de cæteris. cum tamẽ interim nusquã aut in sacris literis, aut in Pontificio iure, aut in iis quæ sanctissimi homines ediderunt operibus, nomen mutare prohibitum sit. hac enim diligentia sapientissimi viri Maiores nostri qui ius illud condiderunt, quod vulgo Canonicũ vocant, vsi sunt, vt non tollere ius ciuile, sed emendare quodammodo viderentur. itaq; factum est, vt quæcunq; viderent à fide persuasioneq; christiana nihil abhorrere, ea firma, atq; rata omnia esse voluerint, quæ vero vel tantillum à diuina lege dissentire intelligerent, ea vel prohibenda penitus, vel corrigenda saltem esse censuerint. Scortationes igitur & fænora, & pellicatum, & id genus cætera, quæ semper annexam turpitudinem habent, quamuis ciuili iure concederentur, procul tamen à christianis moribus abesse oportere statuerunt. nominis autem mutationem quæ nihil honestati, bonisq; moribus obesse possit, non modo non prohibuerunt, sed etiam cuiuis liberam permiserunt. Quare tantum abest, vt mutare nomen christiani damnandũ esse censeant, vt etiam nescio quid religionis habere iudicent, vt cum vitæ rationibus etiã nomen mutare frequentissime soleant. vt nullã vestalem virginem fieri, nullũ monachũ, nullũ Pontificem patiantur, nisi nomine prius immutato. cum igitur apertissime constet nominis mutationem & a ciuili iure, & a diuinis legibus cuilibet esse concessam, quid est quod amplius aduersarii mei tam indocte, tamq; imperite clamitent, hoc à me contra leges esse factum? dixi de legibus quæ mihi satis huic causæ facere videbantur, sequitur vt quod

secundo loco mihi obiecerunt aduersarii, contra omniũ consuetudinẽ hoc à me factum esse, refellamus. qua in re mihi quidem magnam præseferre rerum humanarum ignorantiam atq; imperitiã videntur, cum, quod & antiquis illis temporibus, quibus maxime iusticia sapientiaq; florebat, & patrum nostrorum memoria frequentissime fieri solebat, & hac etiam nostra tempestate sæpissime fit ab eruditis viris, id quasi nouũ & inusitatum, & ante hunc diem inauditum in me reprehendant. Nam per Deum immortalem, *quænam est ista consuetudo vestra, quam mihi opponitis accusatores? doctorum ne an imperitorũ hominũ? si imperitorum, vno vobis in hac parte verbo satisfaciam, literato viro quid imperita multitudo sequi soleat non admodũ esse curandũ. quid enim absurdius, aut ineptius dici potest, quam cũ de aliqua re disceptatur, quærere quid baiuli atq; operarii, non quid homines doctissimi de illa senserint? non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, nõ diligentia, sed omnia præsenti sensu iudicat, parum admodũ sentiens præteritum aut futurũ. putatq; nihil omnino recte fieri, nisi quod vulgarẽ omniũ consuetudinem sequitur. a parentum enim suorum vestigiis, etiam si plerunq; pessima sint, vel vnguẽ latum discedere scelus existimat.* Itaq; *summa quadã atq; immensa religione, vel auili potius superstitione, iampridem inueteratos apud se mores, quantũuis inepti sint, atq; ridiculi, sibi seruandos esse censet. quod si quis non modo aliter faciat, sed etiam contra sentiat, eum statim improbum, nefarium, factiosum appellat. si doctorum hominum consuetudinẽ intelligitis, recte quidem vos consuetudinis verbum interpretari iudicabo, sed imperitiam vestram ridebo. neq; enim ex eo quod plures faciunt, consuetudo vim debet accipere. quod si fiat, omnia recte atq; honeste vi-*

uendi præcepta subuertentur. quotus enim quisq; est, qui studiis honestis, & pertinentibus ad bene beateq; viuendū delectetur? quanto plures & hoc tempore sunt, & semper fuerunt, quibus turpia, quā quibus honesta placeant? quā multa sunt in populari vita, vulgiq; consuetudine ridicula, inepta, superstitiosa, vana, sordida, quæ siquis reiiciat, & contemnat, eum ne aliquid contra hominū consuetudinem moliri, aut facere dicetis? non existimo vos eo dementiæ, atq; insaniæ peruenisse. Quid igitur id est quod consuetidinem appellatis? equidē ita video Maioribus nostris, eruditissimis, atq; sapientissimis viris placuisse, vt eam consuetudinē quam sequi, atq; obseruare debeamus, non quemlibet inueteratū morem aut vsum esse censerent, sed eum qui neq; ab honestate, neq; a legibus abhorreret, quem omniū voluntate sine scripto vetustas comprobasset, qui deniq; naturam optimā ducem sequi videretur. Itaq; Fabius vir vt doctissimus, ita etiā sanctissimus ego (inquit) consuetudinē sermonis vocabo cōsensum eruditorū, sicut uiuendi, consensum bonorū. quibus ex verbis intelligi potest, duplicem esse laudabilem consuetudinem, alteram sermonis, alteram vitæ. quemadmodū etiam omnis nostra laus atq; gloria, cum ab eleganti doctoq; sermone, tum a rebus præclare gestis prouenire solet, sed vitæ consuetudinem a bonis atq; honestis hominibus esse petendā. talis enim quisq; fieri solet, quales ii sunt quorū consuetudine delectatur. sermonis autem ab eruditis atq; doctis, nam hi soli apte, distincte, atq; ornate dicendi rationē tradere possunt. quid ergo? contra quam ex his duabus me consuetudinem fecisse arguitis accusatores, vitæ ne, an sermonis? de vitæ meæ consuetudine nihil dico amplius, quoniam satis ostendi nihil cōtradicentibus vobis, me bonorum hominū semper studiosum atq;

imitatorem fuisse, neq; vnquam tale aliquod flagitium admisisse, de quo merito condemnari possem. Restat vt de sermonis consuetudine videamus. Pro Dii immortales quantū in hac parte voluptatis, quantū oblectationis, ex aduersariorū oratione percepi P. C. cum eos tam inepte, tam confuse, tam impolite loqui audirē. vix me hercule risum continere poterā, cū in mentē mihi veniret eorum arrogantiæ, qui cum se solos non tantum in hac ciuitate, sed in toto penè terrarum orbe scire putent, cum se bonarum literarū professores & inscribant, & appellent, cum dicendi præcepta quotidie discipulis suis inculcent, & optimi Rhetores haberi velint, in iudicio publico, coram omnium doctissimo Senatu Mediolanensi, corā vobis deniq; P. C. qui propter singularē prudentiā, & summam eruditionem in hoc consilium publicum delecti estis, tantā dicendi imperitiā, tantas verborū sordes, tam inquinatum locutionis modum atq; vt vno verbo dicam tantā barbariē ostentarint. at in qua causa? quam annum integrum atq; amplius cōmentati sunt. nam anno superiore, cum Ferraria Mediolanum rediissem, & a vobis in pristinum locum restitutus fuissem, eos intellexi, iam actionem hanc in me præparare. Sed audebunt ne isti mihi sermonis consuetudinem obiicere? Te Fabi Lupe appello, qui mihi præter cæteros accusatores, visus es in hac parte ceruiculam iactare, tuoq; lugubri vocis eiulatu, tantum audientium aures offendisse, vt cum nullum garriendi finem faceres, te tandem Senatus princeps tacere iusserit, atq; aliis etiam dicendi locum relinquere, vtram tandem existimas propius ad illā veterum latinorum, & Tullianam dicendi consuetudinem, meam ne dictionem, an tuam accedere? tametsi nihil mihi arrogo, quippe qui longissimo sane me videam interuallo

Ciceronis vestigia sequi, nõ tamen esse te tam impudentẽ existimo, qui præsentibus his talibus viris, sordidã istam locutionẽ tuam audeas huic, qualiscunq; est, orationi meæ præponere. cum præsertim ego tot vigiliis & laboribus, hanc mihi modicã dicendi facultatẽ comparârim, tibi vero, quod satis constat, non oleum, sed vinũ, non lucerna, sed tenebræ, non vigiliæ, sed cubile, semper cordi fuerit. atq; (vt Poetice loquar tibi magis Venus, quã Musæ, Bacchus, quã Apollo, Genius, quã Minerua perpetuo placuerit. hinc igitur accidit, vt ab eruditorũ consuetudine sermo tuus prorsus abhorreat. meus autẽ (nisi me fortasse, meaq;, plusquã satis est amo) se talem audientibus offerat, vt omnes facile iudicare possint, in bonis auctoribus me diu diligenterq; esse versatum. nam vsq; eo politæ, atq; ornatæ dictionis ab ineunte ætate semper studiosus fui, vt etiam nomen meũ, quia nescio quid Barbarum præ se ferre videbãtur, immutarim. Hic te volumus (inquiunt accusatores, hoc defende, nõ esse factũ præter omniũ consuetudinẽ. immo vero nihil mihi facilius est, quã apertis rationibus ostendere, nõ tantũ hoc non esse contra consuetudinẽ, sed etiam ex cõmuni consuetudine factum esse. modo mihi id concedatis, quod nõ nisi impudẽtissime negare potestis, omne nominũ atq; sermonis arbitrium apud eruditos homines, & esse debere, & semper fuisse, vt quicquid ipsi cõmuniter sentiant, id ab aliis ratum haberi debeat. neq; enim naturalia nomina sunt, vt nõ immutari data occasione facile possint, sed tantum rerum notæ quædã sunt, vt nõ difficulter eruditi videre possint, quod cuiq; rei magis nomen conueniat. vnde Pythagoras maximam eius fuisse doctrinã, atq; sapientiam dicebat, qui nomina primo rebus imposuit. nam quãuis plurima reperiantur nomina, quæ rerũ

vim & naturam exprimant (vt apud Platonē in Cratylo Socrates copiose disputat) omnia tamen ab eruditorum hominum institutione profecta sunt. Quod cum ita sit nemini dubium esse potest, quin eruditorū consensus; cōmunis in nominum impositione consuetudo vocanda sit. Quæramus igitur primo recentiū, atq; doctissimorum hominū exempla, deinde etiam veterum, qui vel sibi ipsi nomen immutarunt, vel ab aliis oblatū libenter arripuerunt, vt tandē aliquando desinant aduersarii ea de re me accusare, quæ nunquā ab aliquo sapiente fuit improbata. Quis hoc nostro tempore bonarū literarum professor Egnatio Veneto clarior est? qui iampridē Venetiis vtranq; linguam ita profitetur, vt ei plurimum bonæ literæ debeant. qui non aliter atq; Cato ille Censorius, cum annum iam octogesimū excesserit, tamen in solitis suis laboribus, atq; in publico docendi munere perseuerat? hunc igitur in iuuentute sibi nomen immutasse constat, neq; tamen ea de causa quisquā eum vnquam accusandum, aut reprehendendū esse censuit. & quæ mutatio fuit illa Dii boni? quam longe petita, quam à priore nomine diuersa? cum enim antea Baptista de Cipellis diceretur, postea factus est Egnatius. quantopere fremerent aduersarii mei, quā sese iactarent, quam me statim exterminare se posse confiderent, si talem in nomine meo mutationem inuenissent? qui propter vnā immutatā in eo syllabam, tantas turbas cōmouent, & in me tam tragice vociferantur. Quid de Fabio Vigili, viro non tantum doctissimo, sed etiam sanctissimo, dicam? qui propter egregias virtutes suas dignus est habitus, cui Spoletinus Episcopatus a Paulo tertio Pontifice Maximo demandaretur? is enim cū antea Fabianus Vetulę vocaretur, postea se Fabium Vigilē vocari iussit. quo nomine nunc etiam ab

omnibus appellatur. ecquid ea de causa dignitatis amisit? ecquid ideo minus Pontifici gratus fuit? immo vero tanto postea gratior euasit, quanto sibi gratius nomē adoptarat. Iam vero Pierius Valerianus, vir in pmis eruditus, & in summo precio atq; honore propter sacerdotii dignitatē, & non vulgarē doctrinā habitus, Petrus Valerii prius dicebatur. Quid Phædrus ille volaterranus, tam clarus orator, cuius omnes actionē mirabantur, quem Sadoletus in suo de Philosophia libro contra Philosophiam ipsam disputantem inducit, annon antea Thomas Ingeramius dicebatur? ecquis vnquā tantam in eo duorū nominum mutationē vel leui repræhensione dignam censuit? Quid Politianus vir ita facundus, & oratione politus, vt non sine causa, nomen illud asciuisse sibi videatur, annon Angelus antea de monte Pulciano fuit? Quid Domitius Calderinus, nōne sibi nomen finxit, cum antea Dominicus de Caldariis vocaretur? Quid Ianus Aulus Parrhasius, nōne prius Ioannes Paulus de Parisiis dicebatur? doceant igitur aduersarii si possunt, aut hæc quæ proferimus exempla, quæq; dicturi sumus, vera non esse, aut eorū aliquē qui sine fraude nomen immutarint, qui sane quāplurimi fuerunt, ea de causa vocatum in iudicium fuisse. quod si probare potuerint, quo minus secundū eos litem detis, & contra me sententiā feratis, P. C. non recuso. Sed quid cesso doctissimi, atq; eloquentissimi viri exemplum, in mediū afferre, quem ego libenter auctorem secutus sum. qui (vt arbitror) eadem de causa, qua ego, cum idem nomen haberet, repudiato vetere nouū assumpsit? Marcus Antonius Flaminius, qui sua elegantia dicendiq; venustate, doctorum omnium in se ora conuertit, cum puer esset, & Bononiæ sub patre suo ludi magistro literis operam daret, vt a multis fide dignis

viris accepimus, Antonius Maria dicebatur. hic postea cum plurimum in literis profecisset, & Romam Bononia transmigrasset, se Marcum Antonium appellauit. huius pater, Ioannes Antonius Flaminius, cum esset Imolæ natus, admodũ obscuro loco, neq; vllũ familiæ nomen clarum haberet, in Flaminiorũ gentem insinuauit, & se Flaminium appellauit. quæ res illi nunquã dedecori, sed magno semper honori fuit. & merito. nam si Romani prudentissimi viri, candidatis suis (quemadmodũ in historiis habemus) quo tempore præhensare volebant, magistratusq; petere, sibi nomina patriciorum & nobilissimarũ familiarũ adoptare cõcedebant, quo gratiores essent apud populũ, & facilius quem peterent magistratum assequerentur, qua in re de Reip. administratione, atq; salute agebatur, quanto magis nobis Musarum candidatis concedendum est, nomẽ illud quod elegantius visum fuerit assumere? cum præsertim hac in re, nemo damnum à nobis possit, aut detrimentum accipere? quare lepide Pomponius Lætus, vir summa eruditione, atq; dicendi lepore clarus, cum a Paulo Secundo Pontifice Maximo, cuius consuetudine familiariter vtebatur, molli quodãmodo brachio repræhenderetur, quod mutato nomine, cum antea Bernardinus diceretur, se Pomponium Lætum vocari iuberet, quid hoc (inquit) ad te Pontifex Maxime? an si me Fœniculum appellari voluissem, id repræhenderes? risit ad hanc responsionem Pontifex, neq; illum impediendum esse censuit, quo minus suo sibi arbitrio nomen adoptaret. Cum igitur prope immunerabilia sint eruditissimorum hominum exempla, qui suo arbitratu noua sibi nomina finxerint, quos nemo tamen vnquã, nõ solum in iudicium vocauit, sed ne grauius quidẽ repræhendit, nequeo satis aduersariorũ meorũ inscitiam admirari,

qui hæc tam clara, tam aperta, iam vsitata, pro nefario scelere mihi obiiciant. cum præsertim hoc non tantum à literatis hominibus, sed etiam a plerisq; aliis quotidie fiat. quis enim nescit eos, quos Monachos aut cucullatos appellamus, cum in religiosorum conuentus, & cænobia transmigrant, vetera nomina deponere, & alia noua sumere? quod si mutatio nominis esset improbanda, quis eo tempore quo maxime religioni se deuouet, aut sibi nouũ nomen eligeret, aut à religionis antistitibus pristinũ nomen suum immutari pateretur? hoc idẽ puellæ faciunt, quæ more vestaliũ virginũ, perpetuam Deo castitatem vouentes, monasteria (quæ vocant) ingrediuntur. nam aut ipsæ sibi permissu præsidum nouũ nomen eligunt, vetus repudiant, aut a præsidibus oblatum recipiunt. Quid Pontifices Maximi? sunt ne eo nomine contenti, quo die suo lustrico fuerant insigniti? minime vero, sed cum Pontificatũ ineunt, aliud confestim sibi nomẽ assumunt. Et quisquam adhuc dubitabit, quin accusatores isti me aperte calumnientur, & falso dictitent, contra omnium consuetudinẽ hoc à me factum fuisse? cum & plerique literati viri, & quicunque religionis gratia nouas viuendi rationes ineunt, nouosq; sibi amictus induunt, & ipsi denique Pontifices, a quibus tota religio nostra fulciri creditur, sibi nomen immutare soleant? profecto non hæc tam perspicua, tamq; peruulgata negarent, nisi eos vel malicia, vel inuidia cæcos omnino redderet. Nam etiam in eo me non sane leuiter accusant, quod gentis, atq; familiæ meæ nomẽ dimiserim, & Maioragii cognomen assumpserim. tamq; insipientes atq; ignari rerum esse videntur, vt quod ego modestiæ gratia feci, putent arroganter à me factũ. existimant enim Maioragiũ à me fictum esse cognomẽ à maiore, quorũ opinio quã ridicula sit, atq; inepta, vel puero perspicuũ est.

Sed

Sed vt facilius consilii mei rationem intelligatis P. C. breuiter vnde familia nostra duxerit originem explicabo. Quo tempore Longobardorum Rex Desiderius, apud Maiores nostros, rerum in Cisalpina Gallia potiebatur, tres fuerunt fratres ipsius Regis propinqui atq; necessarii, quippe qui ex eius sorore nati fuerant, quorũ primus Amphortius, alter Fusius, tertius Catus vocabatur. hos ipse Rex, non tantum quia propinqui erant, sed etiam quia singulares eorum virtutes, & in bello, & in pace fuerat expertus, maximis honoribus prosecutus est. & præter alias dignitates, & egregia munera, quibus eos affecit, totum etiam tractum illum, qui inter Nouocomũ, & Medæciam, & Leucum extenditur, & sursum versus vsq; ad Larii diuortia, largitus eis est. quo tractu continetur ea quæ Plebs Incini dicitur, & tota Brigantii montis regio, vino clarissima, totaq; vallis Asinia, atq; etiã aliæ nonnullæ regiones. In quibus locis considentes tres illi fratres, honoris gratia sunt ab ipso Rege Comites appellati. quod nomen nõ ita pridem eo tempore cæperat esse dignitatis, cum apud antiquos latinos in ea significatione nusquam reperiatur. hinc igitur factum est, vt horum trium fratrum posteri, sint comites nominati. vnde postea familia Comitũ longo tempore Mediolani floruit, atq; etiã hodie multis nobilissimis & eruditissimis viris floret. Sed vt ad tres illos fratres reuertar, Amphortius qui ex illis natu maximus erat, Maioragium vicũ extruxit, atq; in eo turrim, cuius adhuc in domo mea paterna, post septingentos atq; amplius annos, quædam extant vestigia, atq; fundamenta. hic nostri generis auctor fuit, atq; ab illo Comites Amphortii maiores mei dicti fuerunt. Fusius autẽ & Catus nõnullos alios vicos cum turribus ædificarunt. vnde etiã hoc nostro tẽpore,

multi sunt in eis locis, licet obscuri, atq; ignobiles, qui Comites Fusii, & Comites Cati vocentur. ab his maioribus orta Comitũ famila; plures habuit claros, atq; illustres viros, qui (vt arbitror) nominis ambiguitatem euitantes, ne re vera Comites esse crederentur, non se Comites, sed de Comitibus inscribebant. verum cum hoc locutionis genus à consuetudine latini sermonis abhorreret, primo patruus meus vir eruditissimus, qui permultos annos Mediolani magna cũ gloria publice docuit, cũ elegantiæ sermonis admodũ studiosus esset, nõ amplius se de Comitibus, sed Petrũ Comitẽ cœpit inscribere. vidi ego nõ nullas eius lucubrationes sanè perquã eruditas cum hac inscriptione, Petrus Comes. hunc imitati sunt eius fratres, Iacobus, & Aluysius, atq; etiam pater meus Iulianus, qui horum sororem Magdalenam, in matrimonio habebat, nam hi omnes se perpetuo Comites inscripserunt. quos deinde subsecuti, Primus, & Antonius, Aluysii filii, consobrini mei, pergunt etiã nunc eodẽ se modo inscribere. Verum ego cum hoc nomen Comitis ambiguũ esse viderem, & ab omnibus, quibus familia nostra nota non est, pro dignitate capi intelligerẽ, statui mihi esse dimittendũ. cum præsertim Maioragii cognomentũ haberẽ adhuc à patre hereditarium. ne id fortasse mihi aliquando accideret, quod Primo Comiti, consobrino meo contigit. qui cum in Germaniam ea de causa profectus fuisset, vt Erasmi consuetudine per aliquod tẽpus frueretur, priusq̃ ipsum Erasmũ conueniret, ad eum literas dedit, quibus aduentus sui causam declarabat, quarũ in extrema parte nomen suum (vt fit) ita inscripserat: tui studiosissimus, Primus Comes Mediolanensis. hanc cum Erasmus inscriptionem vidisset, credidit statim magnum aliquem adesse principem, sui visendi gratia. Quare licet admo-

dum senex & infirmus esset, tamen quo studio, quoq; apparatu potuit, obuiam consobrino meo, longe processit. sed postquam homunculū vnum, nullo comitatu, nullo seruorū grege stipatum, & literatum quidem, sed nullo elegantiori cultu vestitum inuenit, errorem suum ridere iucunde cœpit. & tamen eum multo gratiorem aduenisse, quā si magnus princeps fuisset, multis audientibus testatus est. itaq; ipsum benigne, sicuti dignus erat excepit. quin eadem ratione deceptus aliquando fuit in nomine meo, vir insignis ac literatus Sebastianus Gryphius. cum enim ad eum literas dedißem, & me Comitē inscripsißem, ille mihi tanquam alicui principi respondit, & clarißimum Comitē non semel appellauit. Itaq; cum hoc aduertissem, & exemplo doctißimorum hominū me familiæ nomen prætermittere poße intelligerē, statui nomē illud Comitis, omnino mihi dimittendum esse. sunt enim innumerabiles pene literati viri, qui relicto familiæ nomine, vel à regione, vel à loco vbi nati sunt, sibi cognomen aßumpserunt. vt Erasmus pene diuino vir ingenio, qui de re literaria plurimū bene meritus est, a vico vbi natus erat, se Roterodamū appellauit. vt Antonius Nebrißensis, qui primus apud hispanos literas illustrauit. ita Petrus Marsus, Antonius Volscus, Rhaphael Volaterranus, Antonius Minturnus, infinitiq; alii. quod aduersariis meis nouū videri mirū est, in hac præsertim ciuitate, in qua plurimæ familiæ nomē à vicis, vnde traxerunt originē seruant. vnde enim Andreas Alciatus iurisconsultorū omniū princeps, nomē habet? annō ab Alciato vico, q nō amplius quinq; millia paßuū, à Maioragio distat? atqui hoc ego nomine nō nunquā gloriari soleo, quod mihi fortuna dederit, vt incunabula generis, ex eodē pene loco, cū Alciato traxerim. quid Fannianorū nobilißima familia?

quid Lampugnanorũ? quid Castillioneorũ? quid Cusanorũ? quid Legnanorũ? quid plurium aliarũ, quæ Mediolani clarißimæ sunt? annõ omnes à vicis, qui in agro Mediolanensi extant etiã omnes hoc tempore nomen habent? Quis non igitur vehementer admiretur, tam insipientes atq; amentes istos accusatores esse, vt se vobis hoc persuadere posse sperarent, contra omniũ consuetudinẽ esse factum, qui tanta estis prudentia, sapientiaq; præditi, vt non tantũ quid in cõmuni consuetudine sit, verũ etiam quid omnino fieri oporteat, aut liceat, omniũ optime cognoscatis? hoccine igitur vobis præter omnium consuetudinem videri potest? quod à tot eruditis viris, à tot religiosis, à tot summis Pontificibus, à tot clarißimis familiis, frequentißime fieri consueuit? At dicet aliquis hoc esse nouũ, & à veteribus minime factitatũ. quod & si concedã, nõ tamen ideo vincẽt aduersarii, contra consuetudinẽ esse factũ. quoniã ex quo tempore nostra persuasio fidesq; Christiana vigere cæpit, etiã hæc mutandi nominis consuetudo cum ea inualuit. nam & Christus auctor atq; parens salutis nostræ, nõnullis ex discipulis suis nomina mutauit, & postquã ipse in æternam domũ suã conceßit, eius legati (quos apostolos vocamus) eis fere omnibus, quos Christo, & sacris eius initiassent, nomina mutabant. quare tam prisca, tam antiqua, tam vetus hæc consuetudo videri potest, quã persuasio nostra, quam fides Christiana. Sed quid dißimulare opus est? quasi vero mihi probare difficile sit, mutandorũ nominũ vetustißimã eße consuetudinem, quẽadmodum & ex sacris hebreorũ libris, & ex historiis intelligi facile potest, nisi mihi satis esset ad victoriam ostendere, nequaquã a Christianorum moribus hanc mutandi nominis rationem alienam esse. Sed tamen illud non prætermittã, multis de causis

apud veteres illos Romanos diligentiſsimos nominum obſeruatores, priſtinum immutari nomē conſu uiſse. primo enim quoties peregrinus aliquis ciuitate donabatur, & ciuis Romanus fiebat, is arbitratu ſuo nomen Romanū quod ſibi magis placuiſſet, eligebat. ſic Archias Poeta poſteaq́ ciuis Romanus factus fuit, Aulus Licinius dictus eſt ſic Antipater hiſtoricus, ciuitate donatus. L. Cœlii nomen aſſumpſit ſic innumerabiles alii, ius Romanæ ciuitatis adepti, quæ grata ſibi fuiſſent, nomina capiebant. deinde etiam illā apud Romanos fuiſſe conſuetudinē obſeruauimus, vt cum plebeius aliquis equeſtrem dignitatē adipiſceretur, nouū ſibi, repudiato vetere nomen adoptaret. quin aperte Plutarchus oſtendit, apud Romanos licuiſſe cuilibet volenti mutare nomē, cum de Cicerone ſic in eius vita ſcribat. cum primas dignitates Reipublicæ cæpiſset attingere, & a beneuolis ſuis crederetur, id nomen aut omnino vitaturus, aut in aliud cōmutaturus, iuuenili quadam audacia dixiſse traditur, ſe certaturū ſplendidius Scauris, atq; Catulis, Ciceronis nomen efficere. nam qua ratione credidiſsent amici, ſibi Ciceronē fuiſse nomē mutaturū, niſi fuiſset apud Romanos ea mutādi nominis cōſuetudo? Quid illud annon apertiſsimū eſt, omnes qui ſe in adoptionē alicui dabant, noua ſemper adoptantiū nomina ſumere ſolitos? vt Scipio Aemilianus, Fabius Rutilianus, Cæſar Octauianus? Quid in adeundis hęreditatibus annon obſeruatū fuiſſe legimus, vt eius a quo eſſent hęredes inſtituti nomen acciperent? ſic M. Brutus Quinti Cæpionis nomē aſſumpſit, vnde poſtea Q. Cæpio Brutus fuit appellatus, ſic Pomponius Atticus, propter Q. Cæcilii hęreditatem Q. Cæcilius Pomponianus a Cicerone dictus fuit. quin etiam ſæpenumero fiebat, vt qui teſtamenti factionem haberent,

cum aliquem sibi ciuem hęredem eligerent, eum iuberent nomē im-mutare. quod ad Atticū scribens his verbis ostendit Cicero: Dolabellam video Liuiæ testamento cū duobus cohęredibus esse in triēte, sed iuberi mutare nomen, est πολιτικὸν σκέμμα rectū ne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento. Quid praeterea? nonne multi sibi ab aliis oblata nomina libenter arripuerunt? praesertim si noui homines fuißent, & aliquid honoris aut gloriæ nomen illud nouum allaturum videretur? vnde enim Cato ille maior, vir insignis omni virtutū genere nomen habuit? annō ex prudentia, atq; calliditate sua? cum enim esset prorsus ignobilis, & in agro suo paterno Tusculano Priscus vocaretur, à M. Valerio Flacco Romam deductus, nō ita multo post ob eximiam virtutē Cato cognominatus est. nam Romani (quod ait Plutarchus) eum in quo multarum rerū vsus atq; scientia sit, Catonē nominant. quod quidem nomē adeo sibi libenter adoptauit, vt se nō alio nomine postea passus sit vnquam appellari. Quid Valerius Publicola, nō ne libenter honoris gratia, sibi oblatum à populo Romano, nomen arripuit? Quid Plato cum prius Aristocles ex aui nomine vocaretur, annō cum propter egregiam humerorū latitudinē, & frontis amplitudinē, ab iis qui cum eo versabantur, Plato cognominatus fuißet, tam cupide nomen illud amplexus est, vt nunquam postea dimiserit? Quid Theophrastus Eresius, cui Tyrtamo nomen antea fuerat, nonne cum eum ob diuinā elocutionem præceptor eius Aristoteles, Theophrastū appellaret, sibi postea tanquam propriū nomen illud asciuit? & in operibus suis inscribere nō dubitauit? Quid Homerus, cū antea Melesigenes diceretur, annon postquā cæcus factus est, & ducis indigeret, Homerus dictus est? Iones enim & Cumæi

captos oculis, Homeros vocãt, eo quod ducibus egeant. hoc igitur nomẽ reiecto priore semper postea tenuit. Quin etiã nõnullis clarissimis mulieribus, hanc nominis mutationẽ vehementer placuisse legimus. mater enim Euandri illius Arcadis, quæ latinarũ literarũ auctor & inuẽtrix fuisse dicitur, cũ antea Nicostrata vocaretur, postea propter diuinãdi sciẽtiã, & diuinorũ carminũ interpretationẽ Carmẽta fuit appellata. Tanaquil autẽ sapientissima fœmina, Tarquinii Prisci cõiunx, postquã Romam venit, maritumq; suum regẽ vidit, nomẽ etiã Romanũ habere voluit, itaq; Caia Cæcilia dicta est. Quod autẽ prætermittẽdi, gentis atq; familiæ, nominis, antiquissima cõsuetudo sit, declarant omnes fere Græcorũ appellationes, in quibus vel à regionibus, vel à ciuitatibus atq; oppidis, sibi nomẽ assumunt. cũ tamen credibile sit, in suis regionibus ac ciuitatibus, suarũ familiarũ nomina, singulos ab aliis habuisse distincta. sic Aristoteles Stagyrites inscribitur, Plato Atheniensis, Euclides Megarẽsis, Theodorus Cyrenaicus, Pythagoras Samius, Gorgias Leontinus, Pindarus Thebanus, Pittacus Mitylenęus, Thales Milesius, Chilo Lacedęmonius, Bias Prienẽsis, Periander Corinthius, Cleobulus Lyndius, Solon Atheniẽsis, aliiq; innumerabiles. Quin etiã apud latinos eiusmodi nõnullę sunt inscriptiones, vt T. Liuius Patauinus, Apuleius Madaurẽsis, Lucanus Cordubensis, Sillius Italicus, Ausonius Burdegalensis. multa prætereo consulto, P. C. ne videar magis aliorũ exẽplis, quã rationi cõfidere. docet enim nos ipsa ratio nihil referre, nõ tantũ quo singuli hoĩes, sed etiã quo quæq; res noĩe vocetur. modo tale nomẽ imponatur, vt ꝑ illud res ea quã significare volumus, intelligi possit. Sunt enim ab ipsis hoĩbus excogitata noĩa, nõ alia sane de causa, nisi vt per ea res ĩter se discernãtur. nã qua ratiõe nisi noĩa rebus

addantur, hæc ab illa distingui atq; separari poterit? Sed tamẽ quoties inter homines, de rebus ipsis conuenit, nihil oportet (vt apud Platonem ait Socrates) de nominibus esse solicitos. quoniã nullum alium nobis vsum nomina præstant, nisi vt per ea res intelligamus. quæ cum à nobis perceptæ fuerint, possumus eas, quocunq; nobis placuerit, nomine vocare. quid enim prohibet, quo minus inter se conuenire possint homines, vt quẽ nunc equũ (exempli gratia) vocamus, postea bouẽ appellent, & contra, quẽ nunc bouẽ, equũ postea nominent? cum enim homines ipsi, nominũ formatores fuerint, & noua semper nouis rebus nomina imposuerint, etiam arbitrio suo, possunt ea quoties sibi placuerit, immutare. quod si post homines natos, & primã nominũ impositionẽ, veteres illi statuissent, nulla esse mutanda nomina, certe nunquã tanta linguarum varietas accidisset. sed iisdem nominibus Hebræi, Græci, Latini, cæteræq; nationes omnes vterentur. nunc cum vnaquæq; natio suo arbitratu sibi nomina fingat, idq; licere omnes arbitrentur, fit vt non tantũ in diuersis prouinciis, sed etiam in eadẽ regione, atq; adeo ciuitate, res vna variis nominibus appelletur. tantumq; in hac nominũ mutatione consuetudo valet, vt nõ tantum homines, belluæ, plantæ, res vniuersæ, quæ ad vsum hominum accõmodantur, sed etiam flumina, montes, regiones, vrbes, vetus nomen amittant, & nouũ accipiant. e quibus exempli tantũ gratia nõnulla cõmemorabo. Tyberim fluuium, ab antiquis Albulã dictum fuisse legimus. Padum scribit Plinius à Liguribus Bodincum olim appellatum fuisse. quẽ antiqui Rubiconẽ vocabant, vulgo nunc Pisatellum dicunt. quẽ Lirim veteres, nos Garilianum. Quid annon vulgo nunc Mongibellus, mons ille Siciliæ dicitur, quem Aetnam veteres appellarunt? nunc

caput

caput solis vocant, quod olim Zephirum promontorium. colonam vero, quod aliàs Lacinium. Quid regiones idem ne seruant perpetuo nomen? minime vero. nam Italia quot nominibus appellata fuit? modo œnotria, modo Hesperia, nunc Ausonia, nunc Saturnia, nunc Latium. quid Italiæ populi, vbi Samnitũ hoc tempore? vbi Sabinorũ? vbi Veientium, vbi Volscorũ nomen? cũ tamen adhuc eædem regiones sed aliis nominibus supersint. Iam vero ciuitates in Italia plurimæ, sicut alibi passim, nouum nomen sortitæ sunt. Papia nunc est, quod olim Ticinũ fuit. quam nos Paduam vocamus latini Patauium dicebant. quæ castelli ciuitas vulgo dicitur, olim Tifernum fuit. quod Vastum hodie vocant, apud antiquos Istonium vocabatur. Populonia dicebatur aliàs, quod hoc tempore Plumbinum. Cornetum vulgus appellat, quod Ptolemęus castrũ nouum. Traiectum nunc est, quæ iampridem Minturnæ fuerant. Sed quid hæc pauca persequar? cum & in ipsa Italia, & in aliis Prouinciis omnibus. omnia fere vetera nomina sint penitus immutata? recte enim poeta quidam cecinit. Mors etiam Saxis nominibusq; venit. Videntur enim homines semper hac nominum varietate magnopere delectati, non tantum in suorum nominũ mutatione, sed aliarum etiam pene omnium rerum, vt nihil omnino reperiatur, quod idem perpetuo nomen apud omnes nationes conseruare posse videatur. Quæ cum ita sint, P. C. vobis iam apertissime constare potest, nõ esse hanc nominis mutationẽ contra omnium consuetudinẽ, quod aduersarii nimis imperite mihi obiecerunt. cum & doctorum hominum, & religiosorum, & Pontificũ, & omnium deniq;, quibuscunq; visum fuerit, hunc esse morem, & semper fuisse docuerim, vt & suo sibi arbitrio nomen immutarent,

& ab aliis oblatum quod gratum esset arriperent. quam quidẽ consuetudinem nulla sit ratio quæ recte posit improbare, cum aliud atq; aliud, prout hominibus placuerit, res singulæ nomen accipiant. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare nominis mutatio sit, & a legibus concessa & a cõmuni cõsuetudine comprobata. Restat vt etiam de honestate atq; decoro nõnulla dicamus. quod cum fecero, perorabo. hoc enim tertium fuit eorum quæ mihi accusatores obiecerant. cui, quanquã ex iis quæ iam dicta fuerunt, satis responsum esse videri posit (nihil enim cõtra decorum est, quod ex communi consuetudine, legibus ipsis concedentibus fiat) tamen nequid omnino dubitationis in cuiusquam animo relinquatur, etiam huic parti respondebo. Opponunt mihi grauissimũ honestatis atq; decori nomẽ, quo fieri non potest, vt non vehementissime commouear. etenim id vnum semper ab ineunte adolescentia summo studio conatus sum, vt nihil vnquam aggredi tentarẽ, quod aliquo modo turpe atq; indecorum esse videretur. quod si mutatio nominis contra decorum atq; honestatẽ esset, vani fuissent omnes conatus mei, vani labores, vana omnis industria. Quid enim mihi vita prodesset honestissime atq; decentissime acta, si nomini meo turpitudinis atq; dedecoris nota inusta esset sempiterna? verũ vt in aliis quæ iam aperte refutauimus, ita etiã in hac parte me accusatores iniuste calumniantur. quid enim turpitudinis habet, quid indecori, nominis mutatio? num quia res iniusta sit atq; impia? sed quæ iniustitia, quæ impietas, hac in re esse potest? Deorum ne religio, mutando nomine violatur? generis ne humani societas offenditur? est ne hac in re aliqua aut libidinis, aut auaritiæ, aut vllius improbitatis suspicio? est ne aliquid eiusmodi, quod animũ à virtute alienũ ostendere posit? nihil sane ho-

rum nō solum dici, sed ne fingi quidē potest. cur ergo indecorū? an quia sapientes & eruditi homines ab eo facto refugiant? immo vero iam à nobis copiose demonstratū est, plurimorū hominū qui doctrina atq; sapientia excelluerunt exempla reperiri, qui sibi nomina cōmutarunt. quod autē sapientū exemplo fit, id etiā omnes recte fieri existimant. quos enim imitari debemus, nisi doctos & sapientes viros? quorū nobis vitam, quorū facta atq; dicta proponenda putemus, nisi eorū qui quod pulcherrimū factu atq; dictu est optime calluerūt? quod si rectū est clarissimorū hominū exempla sequi, profecto erit etiā decorū atq; honestū. quod enim recte fit, id vt honeste quoq; decoreq; fiat necesse est. cur hoc (inquam) indecorū? an fortasse quia lege prohibitū est? at hoc etiā ostendimus, tam a diuinis quā ab humanis legibus aperte concessum esse. quod autē iure conceditur, id iustum esse nemo nō intelligit. nam quæ legum esset vtilitas aut vsus, si quæ sunt iniusta nominatim cōcederent? ergo sequitur vt idem etiam decorum sit. Quid ad hęc cōtra dici potest? vel enim hoc factū meū iustum est, vel iniustum. sed iniustū nō esse (propterea quod & ab eruditis atq; sapiētibus viris vsurpetur, & a legibus permittatur) ostensum est. restat igitur vt iustum esse necessario concludamus. Id ne igitur vos P. C. quod iustum est, contra honestatem atq; decorum esse iudicabitis? profecto nunquā cadet in istam sapientiā vestram tam iniquū iudicium. quis enim non videt hæc argumenta luce esse clariora? sed quibus tandē rationibus aduersarii nominis mutationē contra decus atq; honestatē esse probare conati sunt? primū (opinor) hoc eorum est argumentū: is quē veteris nominis pœnitet, omnes in leuitatis atq; inconstantię suspicionē inducit, nihil autē incōstantia atq; leuitate turpius, aut magis indecorū videtur. qua in parte

possum id ego dicere, quod olim vulpes cum in cuiusdam artificis domum esset ingressa, pulchramq; capitis imaginē intueretur, ô quale caput (inquit) sed cerebrum nō habet. nam qua ratione probatis aduersarii, eum in leuitatis atq; inconstantiæ suspicionē incidere, quem veteris nominis pænitet? quæ causa est, cur ea suspicio suscitari debeat? cur inconstans aut leuis existimandus est, qui dolet ea re quam immutatā esse cupiat, cū præsertim eam mutare cōcessum sit? eadem ratione dicetur leuis, quem ignobilitatis, quem paupertatis, quem ægritudinis, quē vitiosorum parentum, quem deniq; status sui pænitet. Quod si verum sit, erunt inconstantes omnes, qui sua virtute familiam nobilitare, rem familiarē augere, valetudinem tueri, vitia parentum occultare, dignitates acquirere contendunt. quo quid absurdius dici potest? cur autē magis inconstans esse videatur, qui nomen, quam qui vitæ genus mutat? eorum enim omnium quæ a parentibus accepimus vna ratio esse debet, vt ea vel æque cōseruari debeant, quāuis minime grata sint, vel æque mutare liceat. quod si debent omnia conseruari, profecto leuis & inconstans erit, quicunq; eorum aliqua mutauerit. quo fiet vt in eodem statu sit vnicuiq; perpetuo viuendū, neq; quisquā ignobilis & obscuro loco natus vnquam emergere, atq; in luce versari possit. sed etiam si aut felici ingenio, aut prospera fortuna adiuuetur, tamen ei necessario delitescendum sit. quod si hæc absurda sunt, & pleraq; mutare licet eorū quæ a parentibus accepimus, omnesq; laudantur, qui se suamq; familiam quotidie reddere conantur illustriorem, quiq; semper in melius vitæ suæ rationes promouent, cur is inconstans appellandus est, qui cum industria sua, labore, diligentia iam emergere cœperit, & omnia fere quæ a maioribus suis acceperat immutarit, nomen etiam

cōmutare velit? quis enim est proprie leuis & inconstans appellandus? aut hoc nomen in quē peculiariter cadit? opinor in eum qui nequaquā in vna recta sententia persistit, sed modo hoc, modo illud cōcupiscit. qui vero re multum deliberata & perpensa, tandem statuit, nouū sibi nomen adoptare, quo postea per omne vitæ suæ spacium vtatur, quis eum leuem aut inconstantem iuste potest appellare? non hercle magis quam qui ruri natus, aut in aliqua humili atq; abiecta patria, tandem eam deserere constituit, atq; in florentissima ciuitate viuere. quod si nemo leuem eū existimat, qui nobilissimæ ciuitatis ius acquirere contendit, & pristinam penitus patriam deserit, cur is leuis habeatur, qui pulchrum sibi nomen quærit, vetus repudiat? cum præsertim ea fuerit antiquissima consuetudo, vt qui noui ciues fierent, etiam noua nomina sumerent? At mutatio nominis grauitatem non habet. immo vero tantam habet, quantam etiam mutatio patriæ vel ciuitatis. quare Cato Censorius cū ex Tusculano Romanus ciuis esset factus, etiam ex Prisco (sic enim prius vocabatur) factus est Cato. quod si grauitatē nō haberet mutatio nominis, cur sibi Pontifices nomen immutarent? cur Christus quibusdam discipulis suis nouum nomen imposuisset? cur eiusdem legati quoscunq; sacris initiassent eis nomen etiam mutare voluissent? cur etiam nostro tempore quoties alienigena Christianus fit pristinū nomen repudiat? Sed iterum insurgit atq; eloquio tonat accusator Fabius. omnes (inquit) qui sibi nomen mutant, parentum primum mandatum contemnunt atq; despiciunt, parentum prima munera paruipendunt, parentum voluntatem irritam faciunt. Quis has tam acres exclamationes non vereatur? quis hæc eloquentiæ fulmina nō pertimescat? equidē toto corpore perhorrescebam, cum illud parentū repeti toties audirē.

itaq; quo me verterem nesciebam. videbar enim videre, tam acri lugubriq; accusatoris vociferatione, a mortuis excitatos adesse cum flagello parentes meos, qui me grauiter increparent, & verbera minarentur, nisi pristinũ nomen resumerem. hoc certe tanti ponderis est, quanti illud quo me nuper idem accusator grauissime insectatus est. Cum enim nubilo cœlo pluuioq; mihi domo exeundũ esset, & toga domi relicta, pallio breuiori in publicum prodiissem, vt primum iste vidit, summa voce multis audientibus exclamare cæpit, me decorum non seruare, nimis inhoneste gerere, sibi cæterisq; collegis dedecori esse, fore vt breui me leuitatis eius pœniteret. iudicium videlicet hoc iam tum mihi minabatur. itaq; miror cur hoc tantum crimen relictæ domi propter pluuiam togæ, in accusatione sua non inseruerit, & me nõ tantũ nomẽ sed etiã vestes & habitũ mutasse coarguerit. en virũ dignissimũ qui moribus præficiatur. quid in grauissimis criminibus eum factur ũ existimamus, qui leuissima tam acriter insectetur? Sed illud mihi Iuuenalis in mentẽ venit vsurpare.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent
Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Indocti primum. nam si mihi liberet accusare, facile possem ea de aduersariis meis proferre, testimoniisq; comprobare, quæ certe vobis, P. C. longe grauiora & maiori pœna digna, quam nominis & togæ mutatio viderentur. sed habeant per me totum vitæ suæ spacium multis flagitiis inquinatũ, solutum ac liberum. nihil à me de grauissimis vitiis peccatisq; suis audiant. neq; enim id facere possum, a quo me primo natura deduxit, deinde consuetudo remouit, postremo voluntas auocauit. satis est mihi tam caste atq; integre viuere, vt nemo

iuste me accusare poßit, aut si accuset aperte calumniari videatur. quo modo autem cæteri viuant, quos emendare ego, atq; in rectam viam reducere nō poßum, nō admodū mihi curandum eße conſeo. Sed ad rem redeamus. Quod nam est hoc parentū mandatū, quod a me contemptū & spretum dicis Fabi? solent ne parentes filiis suis præcipere ne nomen mutent? certe si ita est, grauiter peccant, quicunq; sibi nomen mutant. parentum enim voluntati quæ non iniqua videatur, semper obtemperare filii debent. verum quid aliis accidat nescio, mihi certe nunquā parentes mei, ne nomen immutarē, præceperunt. itaq; non intelligo cur à me parentum mandatum neglectū fuisse dicas. Sed quid si viuo patre & consentiente, & approbante nomen mutaui? eris ne tamen tam improbus, vt affirmes à me contemptum fuisse parentū mandatum? Tertius enim hic annus est, ex quo quædam opera mea, sub eo nomine quod mihi adoptaui, typis excußa & peruulgata sunt; pater autem meus anno superiore meis in complexibus animam egit, contra cuius voluntatem atq; nutum quo ad vixit, non modo quicquam feci, sed ne facere quidem tentaui. quem ita diligenter obseruabam, vt parentem decet, ita vehementer amabam, vt eum qui licet in tenuißima re familiari versaretur, nulli tamen vnquam sumptui pepercit, vt me bonis in artibus atq; disciplinis eruditum aliquando videre poßet, ita cum eo consilia omnia mea communicabam, vt ne latum quidem (quod aiunt) vnguem, ab eius sententia mihi discedendum putarem. hoc igitur ille nomen approbauit. huic mutationi consensit. hoc me nomine sæpius appellauit. adsunt testes ex municipibus meis plurimi, summa virtute, fide, religione viri, quibus hoc notißimum est, qui sæpe hoc a patre audierunt,

qui de honore, atq; dignitate mea soliciti sunt, qui sua sponte Mediolanum ad hoc iudicium testimonium dicturi venerunt. hos si vobis placuerit P. C. testes audietis. quamuis hoc minime necessarium esse videatur. neq; enim legislatores, qui nominis mutationem permiserunt, hanc exceptionem addiderunt, extra quam si parentibus minime placuerit. itaq; crediderim ne a parentibus quidē impediri filios legitime posse, quo minus aliqua probabili de causa, si visum eis fuerit, nomina mutent, quamuis illud ego magnopere laudem, atq; approbem, nihil sine parentum consilio, dum viuunt a filiis esse faciendum. sed postquā illi mortem obierint, tum cuiq; liberum atq; integrum esse, quod vitae genus sequi, quod nomen habere velit. praeclaris enim ingeniis saepissime accidit, vt vel imperitia, vel ignobilitate parentum vilia atq; abiecta nomina sortiantur. qua potissimum de causa factum existimarim, vt nomina quae minime grata fuerint, mutare, lege concessum sit. quod si parentes pulchra filiis suis nomina studerent imponere, magnum certe illis ornamentum adiungeretur. Tria sunt enim quibus si forte priuati sunt, magno studio parentes acquirere filiis debent, patriam, nomen, artes. quisquis igitur obscuro loco natus pater, claros habere filios concupiscit, primo nobilem, quam incolat, sibi ciuitatem eligat, quoniam nō tam frequenter familiae, quam ciuitatis nomen quaeritur. vt non sine causa Seriphius quidam obiecisse Themistocli dicatur, non illum sua, sed patriae gloria splendorem assecutum, cui tamen ingeniose Themistocles ita respondit. nec hercle si ego Seriphius essem, nobilis, nec si tu Atheniensis esses, clarus vnquam fuisses. hoc ergo in potestate patris primum est, vt quam velit filio patriam paret, deinde vt elegans atq; egregium nomen eidem imponat, quae

certe

certe res magnum plerisque decus & ornamentũ afferre solet. postremo vt ingenuis eum artibus erudire contendat, quæ præcipue in re splendoris omnis & gloriæ principium est. quod si quis forte parentum culpa priuatus his rebus fuerit, in eius est arbitrio, atq; potestate situm, si voluerit, vt & patriam, & nomen, & artem cõmutet, neq; vlla lex, aut vlla ratio reperitur, quæ illum iuste possit impedire. Sed vrgent aduersarii valida quadam vt ipsi existimant) & quasi cornibus armata argumentatione: qui nomen (inquiunt) familiæ mutat, aut prætermittit, is vel claro illustriq; loco natus est, vel certe obscuro atq; ignobili. Si claris est parentibus ortus, nominis mutatione genus & nobilitatem contemnere videtur, & a maiorum suorum lumine, in tenebras decurrere. si autem obscuris & humilibus, seipsum eadẽ nominis mutatione prodit, & ignobilitatẽ suam coram omnibus confitetur. hoc Chrysippeum esse Barones isti putant, atq; eiusmodi vt nõ modo à me, sed ne à Carneade quidẽ, si reuiuiscat, vllo modo dissolui possit. itaq; diu, atq; ad nauseam vsq; sunt in hac parte cõmorati, totáq; nugarũ plaustra super hac vna ratione fuderunt. Sed videamus quid ea valeat, cuius ponderis sit. claro loco natus nominis mutatione fit (aiunt) obscurior. quomodo quæso? num quia vilius & abiectius sibi nomen adoptet? quis autem adeo stupidus est, vt hoc faciat? quisquis enim sibi nomẽ mutat, elegantius & splendidius quærit, nõ autem sordidius & obscurius. qua ratione ergo fit obsurior? num etiam si clarius & nobilius sibi nomen assumat? quis tam rerum ignarus est, vt hoc affirmare audeat? Clarus erat Pauli Aemilii filius, datus est in adoptionem Scipionũ familiæ, nomẽ mutauit, postea Scipio fuit appellatus. quid? ea ne de causa contempsisse nobilitatem suam videtur? ea ne

de causa à maiorum lumine in tenebras decucurrisse? Pro Deum atque hominum fidem, quantum stuporis, quantum imperitiæ præ se ferunt istæ aduersariorum rationes. nobilissimus erat Octauius, cum C. Cæsar Dictator adoptauit, nouũ nomen sumpsit, Cæsar postea dictus fuit. hac aduersariorũ meorum argumentatione, factus est scilicet ignobilior, genus suum contempsit, tenebricosus quidam euasit. hæccine sine risu quisquam audire potest? quot homines clarissimi reperiuntur, & apud veteres, & apud recentiores, qui relicto familiæ suæ nomine, in duas aut tres clariores familias insinuarunt? Sed ne historiam contexere videar, vno tantũ summi hominis exemplo contentus ero, qui nostra memoria vel omnium eruditorum celeberrimus fuit. Aldum enim audio, virum illum, cui tantum & Latinæ, & Græcæ literæ debent, Bassianatem fuisse. qui tamẽ prima ætate cum iam floresceret, se Romanum primo scribere cœpit. vidi ego permultas eius epistolas, in quibus ita nomen suum inscribebat. Aldus Romanus. deinde non ita multo post, Manutiorũ familiæ nomen assumpsit, & se longo tempore Aldum Manutium Romanum inscripsit. postremo cum Alberti Pii Carporum principis amicissimus esset, etiam in eius familiam insinuauit, & tandẽ, Aldus Pius Manutius Romanus factus est. Hæc autem ideo commemoro, non vt aliquid de tanti viri fama detraham, quẽ semper omnium maxime sum admiratus, sed vt apertissime doceam, hanc semper fuisse doctorum hominum sententiam, vt nequaquam contra decorum esse censerent, & suum & familiæ nomen vel mutare, vel penitus relinquere, & alia noua sumere. nam ipsius Aldi filius, iuuenis cum summa eruditione, tum orationis elegantia præstans, hoc tempore duobus parentis nominibus relictis, tantum se

Paulum Manutium inscribit. Quod autem aduersarii dicunt, qui sit obscuro loco natus, mutatione nominis ignobilitatem suam coram omnibus confiteri, non satis (vt ingenue fatear) intelligo quid sibi velint. nam qua ratione mutando nomine ignobilitas ostenditur? an quia tantum ignobiles mutare nomen soleant? at hoc falsum esse ne aduersarii quidem ipsi negabunt, cum plurimi nobilissimi viri nomina mutasse legantur. deinde quomodo coram omnibus ignobilitatem confitentur? vtrum coram eis, a quibus cognoscuntur, an quibus ignoti sunt? si coram eis, a quibus cognoscuntur, nullam ignominiam aut dedecus affert ignobilitatis confessio, quin potius arrogantes haberentur, si se nobiles esse dicerent. Itaq; multi præstantissimi viri generis etiam nouitate gloriati sunt, quod a se genus suum, cum antea fuisset obscurum, illustrari cœpisset. Si coram eis, quibus ignoti sunt, hoc erit monstri simile. quis enim eum ignobilem esse credit, quem ne natum quidem nouit? quare quod hac in parte reprehendant, nihil omnino esse video. Sed tamen id concludam, quod quicunq; bene senserint, verissimū esse mihi facillime concedent, cum in rebus fere omnibus, tum multo magis in disciplinis atq; literis, parum admodum, aut nihil ad gloriam & honorem prodesse, quo quisq; genere natus esse dicatur. vt enim quisq; doctissimus & laboriosissimus est, nō vt generosissimus & nobilissimus, ita in amplitudine atq; celebritate nominis maxime excellit? Quid enim obfuit ad æternam gloriam Socrati, quòd statuarii filius esset? quid Euripidi quòd olitoris? quid Demosthen, quòd fabri ferrarii? quid Virgilio, quòd figuli? quid Horatio, quòd Libertini? quid plurimis aliis, quorum nomine nihil hoc tempore clarius? desinant igitur aduersarii de genere verba

facere, quod vtrum clarum an obscurum sit, nihil nobis Musarum cultoribus omnino curæ esse debet. concedant tandem id quod inficiari non possunt, siue quis nobilis sit, siue ignobilis, honeste atq; decore, si voluerit, immutare nomen posse. Cum annis superioribus in Ferrariensi Gymnasio iuri ciuili operam darē, mihi fuit arctissima familiaritas & consuetudo cum Bartholomęo Ferrino, viro cum morū integritate, tum eruditione certe singulari atq; admirabili, cuius morte (nam anno superiore in Regiensi legatione mortuus est) nihil mihi iampridē acerbius euenit. is igitur, vt mihi narrabant eius familiares, cum esset obscurissimo loco natus, tamen propter excellens ingenium breui tempore cœpit emergere, notusq; pluribus fieri. donec eius fama impulsus Hercules Attestius Ferrariæ princeps, eum accersiuit, & scribam suum à secretis esse voluit. Sed cum eum admodum pauperē esse videret, cuiusdam Ferrarii mercatoris ditissimi filiam, quam ille vnicam habebat, in matrimoniū ei collocauit. itaq; cum iam hac ratione ditior & clarior factus fuisset, vnaq; cum socero qui venale ferrum habebat, habitaret, se Ferrinū à soceri ferro cœpit appellare, suæq; familiæ nomen supprimere. quæ res illi non modo nulli dedecori fuit, sed maximū etiam ornamentum attulit. nam ipse Princeps Hercules eo nomine tantopere delectatus est, vt eum postea nunquā alio quam Ferrini nomine vocauerit. quē secuti quicunq; eum norant Ferrinū appellabant. atq; ita factū est, vt nō ita multo post nullū esset in ea ciuitate clarius nomen, vt etiā nobilissimæ familiæ nouo homini Ferrino cedere viderentur. Potest ne igitur quicquam contra honestatem atq; decorum esse, quod sæpissime maximū honorem & dignitatē afferat? Hæ sunt P. C. rationes, hæ causæ, quibus adductus ego putaui nequaq; crimini

mihi dari posse, si quod non placebat, nomen immutassem. quod & ab eruditis viris fieri, & a legibus concedi, & ab honestate atq; decoro nõ abhorrere intelligebam. Nunc igitur perorata causa, nihil aliud superest P. C. nisi vt vos orem obtesterq; per eam, quam erga me iampridem ostendistis humanitatem atq; benignitatem vestram, per æquitatem atq; clementiam, qua in omnibus iudiciis vestris vti consueuistis, per summam religionem atq; incredibilem sapientiam, quam in vobis omnes admirantur, ne in hoc iudicio nullo meo scelere, sed tantum aduersariorum improbitate conflato, dignitatem eam, qua me vestra sponte decorastis, & amplissima beneficia, quæ in me contulistis, grauiore sententia deformare atq; obscurare velitis. si me in hoc iudicium nõ crimen aliquod quæstionis proprium, non aliquid eiusmodi, quod sit à lege seiunctum, aut ab honestis vitæ rationibus alienum, sed accusatorum inuidia, nocendiq; cupiditas vocauit. nolite quæso committere, vt quem vos immortali penè beneficio nuper affecistis, eundem hoc tempore maleuolorum iniquitate circũuentum, omni dignitate atq; honore spolietis. si me a pueritia deditum iis disciplinis fuisse non ignoratis, quibus instruimur ad honorem, ad gloriam, ad dignitatem, si bonorum hominum industriam continentiamq; semper imitari conatus sum, si cum primum mihi per ætatem licuit, adhortandis, docendis, concitandis ad ingenuas artes iuuenibus, de Rep. nostra, quoad facultas mea tulit, quam plurimum bene mereri studui, si deniq; ea quæ nisi vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii consequi non possunt, labore & diligentia consecutus sum, obsecro vos P. C. ne patiamini potius exteras nationes, laborum meorum fructus, quam iuuentutem vestram percipere. Mihi quidem hæc patria longe vita mea cha-

rior eſt, vt optimo cuiq; ciui eſſe debet, ſed ſiquid in hoc iudicio (quod Dii omen auertant) decretum a vobis fuerit, quod famam aut exiſtimationē meam aliquo modo lædere videatur, omnino mihi maximo quidem cum dolore, atq; gemitu, ſed quodam modo neceſſario patria diſcedendum erit. neq; enim exultantes hac victoria inimicos meos, & quotidie mihi inſultantes vllo modo pati potero. neq; in hunc tam mihi iucundum atq; gratum conſpectum veſtrum prodire vnquam amplius auſim. deniq; ciuium, amicorum, familiarium, cognatorum conſuetudinem, congreſſum, oculos euitare contendam. ô triſtem & calamitoſum diem illum, quo mihi à domo mea, ab aris atq; focis, à domeſticorū amplexibus, a patria deniq; recedendum erit. ô ſpem fallacem & inanes cogitationes meas, quæ in hoc medio vitæ ſpacio franguntur & corruunt, quæ in hoc amplificatæ nuper dignitatis curriculo, ante ſæuiſſimis tempeſtatibus obruuntur, quam portum conſpicere poßint. nam quid iis dicam, qui me frequentes interrogabunt, cur hoc potiſſimum tempore, in hac, quam nobis Dii immortales bonitate ſua conceſſerunt, pacis tranquillitate, in hac ſtudiorum ac liberalium artium reſtauratione, cum reliqui noſtri profeſſores omnes in priſtinum locum reſtituti ſint, ego ſolus a patria diſceſſerim? potero ne ſeueritatem veſtram accuſare P. C. quos omnes æquiſſimos & clementiſſimos eſſe ſciunt? potero ne cuiquam probare me nullo ſcelere, nullo flagitio, nullo ne mediocri quidem crimine condemnatū, ſed aduerſariorum potentia, gratia, libidine, vobis auctoribus oppreſſum, in eam calamitatem deueniſſe? quiſquam ne credet, vnam tantum in nomine meo ſyllabam immutatam tantopere veſtros animos cōmouere potuiſſe, vt ea de cauſa me notandum infamia cenſueritis? vbi igitur veſtra iampri-

dem spectata & cognita fides P. C? *vbi religio? vbi misericordia? nihil ne poterit apud vos innocentia mea? nihil amicorum preces? nihil cognatorum lachrymæ? cōtra inimicorum improbitatem, sæuitiam, crudelitatem? quid ergo? vitæ integritas vbi consistet, si apud vos locum non inuenerit? quid erit, quod quisquam in hac ciuitate laboris, industriæ, diligentiæ suæ præmium aliquod se speret assecuturum? qui me, quo tempore vigiliarum mearum fructus aliquos percipere debebam, tam leui accusatione prostratum atq; abiectum videat?* Nolite per Deos *immortales*, P. C. *hanc tantam, tamq; exoptatam aduersariis meis afferre lætitiam. vt me nunc primum vestris beneficiis florescentem, asperiore sententia, tanquam turbine aliquo, aut subita tempestate peruertatis. conseruate ciuem patriæ amantissimum, vobis deditissimum, bonarum artium studiosum. quem si hoc iudicio (quod spero & opto) sententiis vestris absolueritis, addictum & obstrictum perpetuo vobis ac liberis vestris habebitis.* Facite *vt eosdem vos in conseruanda tuendaq; dignitate mea cognoscam, quos iam in tribuenda atq; amplificanda magno cum gaudio cognoui. sic enim fiet vt mihi posthac duplo magis elaborandum esse statuam. primum vt eo, quod mihi demandastis, munere, quam fieri potest optime perfungar. deinde vt vobis, qui me conseruandum esse censueritis, & aduersariorum maleuolentiæ, atq; inuidiæ restiteritis, pro virili parte quam gratissimum esse ostendam.* Q*uibus ex laboribus meis, mihi credite* P. C. *efficiam, vt omnis iuuentus nostra fructus vberes diuturnosq; percipiat.* Finis.

Antonius Burgius Mediolani excudebat. M. D. XLVII.



